FRATRIS

IOANNIS NICOLAI

DOCTORIS THEOLOGI

PARISIENSIS,

&

in Conuentu ac Studio Sancti Iacobi apud Fratres Prædicatores

PRIMARII REGENTIS

IVDICIVM SEV CENSORIVM SVFFRAGIVM.

De propoſitione Antonij Arnaldi Sorbonici Doctoris & Socij, ad quæſtionem juris pertinente; nimirum defuiſſe gratiam Petro, ſine quâ nihil poſſumus, quando Chriſtum negauit:

Pronuntiatum in Comitijs Theologicæ Facultatis ex parte tantùm ac decurſim propter temporis breuitatem; & hîc ſerie pleniori cum prætermiſſis Appendicibus propter ſubjunctas cauſas euulgatum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ PARISIORVM,
Ex Typographia FRANCISCI LE COINTE, via Iacobæa, ad inſigne Sancti Remigij.
&
Venundatur apud FRANCISCVM MAVRICE, via Iacobæa, ad inſigne Pilei-Rubri, è regione Collegij Majoris-Monaſterij.

M. DC. LVI.

Digitized by Google

PRÆMONITIO.

AFFECTATVM forſitan, quia nouum & ſingulare, quiſpiam putet vt hæc priuata ſenſa mea in publicum efferam quæ in ſacro Doctorum cœtu ſatis fuerat protuliſſe; ac ignoratâ nouitatis hujuſce causâ, inanitatem arbitretur quod neceſſitas fuit. Nemo eorum tamen tale aliquid ſuſpicari vel vmbrâ tenus poſſit, qui penitiùs rem nouerint; & quàm diuerſæ porrò ac inſontes fuerint facti tam noui rationes ijs eſt exploratò compertum qui Comitijs adfuerunt. Scilicet cùm ad omnem prolixioris moræ occaſionem præcidendam, quam in priori quæſtione quæ ad factum ſpectabat, ſuperfluè nonnulli nexuerant, ratum ac definitum tempus quod vltrà ſemihoram non excurreret, eſſet omnibus conſtitutum; ac mihi quidem qui non vnam (vt in progreſſu planum erit) ſed multiplicem eo caſu perſonam ſuſtinerem, dicenda eſſent ea quæ ſpatio tam breui concludere omnia non liceret; ibi loquendi finem horâ vrgente feci, vbi omnium præcipuus ad loquendum ſe finis offerebat, quaſi propriè mihi ex induſtriâ reſeruatus; & inuitus ac nolens prætermiſi quod potiſſimum expectabatur vt dicerem, quia ſpecialiùs me ſpectabat; tametſi nihil à me præmiſſum eſſet prorſus quod ad cauſæ neceſſitatem non præmitti cæteris debuerit. Enimverò ſic in excutiendis Apologetici à præfato Arnaldo ſcripti calumnioſis contra priora mea dicta figmentis, in euoluendis Patrum teſtimonijs ab eo diminutè productis nec ſincerè, in Cajetano quem ipſe magno faſtu & apparatu produxerat, alijſque Thomiſtis quos illius aſſeclæ ac fautores non abſimili pompâ oſtentarant, aduersùs eos retorquendis atque in ejus damnationem contorquendis verſari ſum coactus, & inchoatum à declinante ad meridiem horâ (ſeſqui-vndecimâ circiter) tempus in prædictis implere, vt cùm ad Sanctum Thomam expendendum, quem coronidi reſeruaram, & quem inprimis vota multorum expectabant, acceſſi, meridies me ipſa occuparit Comitiorum ſolutioni præfinita.

Debeo ſanè Illuſtriſſimis Præſulibus qui præſentes tunc erant, quòd in vlterioris mihi temporis concedendi ad hoc penſum explendum patientem indulgentiam inclinarint: Debeo Doctoribus alijs ad vtramque pertinentibus partem, quòd in eandem conceſſionem (neſcio an eodem animo) ſe faciles ac pronos præſtiterint; vt vel incepta illo ipſo

conſeſſu proſequerer, vel in poſtridianum reſeruarem: Debeo ſpeciatim Illuſtriſſimo San Brioceńſi Epiſcopo, quòd poſtridie ineuntibus Comitijs illud à toto cœtu ante omnia poſtularit, nihil me tale cogitante vel expectante poſtulandum; quamuis ad præſtandum parato, ſi ſpontaneo ejus beneplacito ac multorum nutui vota omnium conſenſiſſent: Debeo Præceptori vnico meo Angelico Doctori, ac Doctorum Principi, quem nullâ mihi vnquam calumnia, nulla cauillatio excutiat, quòd in illius venerationem & gratiam de indulgendâ morâ illa penè actum ſit, quam ad ejus doctrinam euoluendam impendi à me oporteret. Sed quoniam, tametſi conceſſio hæc ijs conditionibus proponebatur decernenda, vt in exemplum non abiret ne verteretur in abuſum, id periculi tamen præcauere viſum eſt quod ex eâ conſequi promptum erat; nec is eſt alioqui meæ indolis genius vt importunus eſſe velim, aut vllum vltrò mihi priuilegium arrogare; deducta demum eò res eſt, vt quod exequi voce non licebat, ne legem violarem, typis publicis committendum & conſignandum, annuente conſeſſu, pollicerer.

Hæc iſtorum euulgandorum cauſa, hæc neceſſitas; eò minùs ambitioſa & arrogans quòd aliorum potiùs votis eâ in re obſequor, quàm indulgeo meis: Etſi hoc ſimul quoque mihiipſi debui propter cauſam aliam indulgere, vt nouas à me præcautione illâ tricas & calumnias amolirer, quibus hanc ſententiam rurſus meam vel præpoſtera exſcriptorum Arnaldi relatio, vel fallax ejus & fraudulenta ſolertia non dubitaret infamare, ſicut anteriorem in obliquum detortam infamauit. Habe igitur illam à me qualis verè mea eſt; ne te adulterata fortè fallat.

PRIMA PARS IVDICII PRÆDICTI, ſeu cenſorij ſuffragij, pronunciata.

HONORANDE DOMINE DECANE, ILLVSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, VOSQVE CÆTERI SAPIENTISSIMI PATRES AC MAGISTRI.

Quod optare me nuper circa Dominum Antonium Arnaldum in quæſtione facti hactenus expeditâ ſincerè palàm ac pacificè ſum profeſſus, vt mitiſſimè nempe cum illo ageretur in ſinum ipſum noſtrum atque amplexum admittendo, ſi culpam eum confiteri ac reſilire ab inſtituto contingeret, id etiamnum in quæſtione juris, quæ ſe diſcutiendam nobis offert, pari ſtudio pacis nec minori ſinceritate cuius mihi conſcientia teſtis eſt, ab ipſo ſtatim diſcuſſionis huius meæ limine ac exordio profiteor; ne quod intemperata & imprudens cauillatio nobis omnibus exprobrare verita non eſt, vel inuidiæ, vel odio, vel vindicandi libidini, vel inflammatæ bili ac in iram effuſæ, vel auerſo animo & aduerſari geſtienti, vel prauis affectibus ac præpoſteris, aut ſimilibus quibuſcumque incitamentis tribuere quiſpiam verè poſſit, ſi quæ paulò fortaſſe contentiùs deinceps à me pro veritate ipſâ rei ac pro cauſæ momento dicenda ſunt. Atque hoc ex me quidem nunc potiſſimùm expectari ſentio quaſi meum vt Sancti Thomæ ac Thomiſtarum ſenſum (ſanum, integrum, innoxium) ab infœlicis atque inauſpicatæ propoſitionis veſtrâ cenſurâ digniſſimæ communione ſecernam ac vindicem: Hoc intelligo aliorum benigniore nutu poſtulari, qui eas mihi partes à ſe meliùs exequendas (pro arbitrio ſuo, non pro merito meo) reſeruarunt: Hoc aliorum inſulſiſſimis calumniis exigi, qui nec eas tam ridiculas effutire, vobis audientibus, dubitarunt: Hoc extorqueri aliorum intempeſtiuâ formidine quaſi laruas & ſpectra inania metuentium, quibus incautâ nimis credulitate perſuaſum eſt ruiturum in terram cœlum, ſi abigantur hirundines, vel ſi alaudæ capiantur; defecturum in mundo Solem, ſi euaneſcant vmbræ; confodiendam veritatem, ſi feriatur error; Sanctum Thomam cum ſuis proſcribendum, ſi Ianſenii ſectatores fautoréſque damnentur.

Etſi hoc porrò à me ſentio potiſſimùm in quæſtione quæ verſatur, vel expectari vel optari, vt quæ ad illam partem ſpectant, peculiari quodam officio exequar, velut profeſſioni meæ magis conſentanea & congrua, in eaque animus iam feſtinat implenda, & ſuopte impetu per ſe fertur; ſiue ad iſtas vices beneuolæ in Sanctum Thomam propenſioni ſenſu non ingrato reddendas, ac eorum animum quibus veritas eius placet, eò ampliùs in tam tuto dogmate confirmandum; ſiue ad os iniquitati obſtruendum, vel calumniam iniqua loquentium chamo illo ac fræno compeſcendam; ſiue ad inconſultam timiditatem à terrore panico liberandam; & aſſerendam illi

ſecuritatem qua damnare non vereantur quod Sanctus Thomas damnat, qui eum incautiùs damnari reformidant: Non poſſum tamen quin altiùs repetens quæ ad cæteras cauſæ partes pertinent, nec hactenus expedita ſunt, aliqua primùm in tranſcurſu delibem circa teſtimonia Patrum, quibus propoſitio in cenſuram vocata, quò ab illo fulmine tuta & tecta eſſe poſſit, velut laureis vndequaque frondibus inuoluta & circumtecta exhibetur.

Et hoc vtique tantò abſolutiùs à me ac ineuitabiliùs fieri neceſſe eſt, quòd ad eam neceſſitatem ipſa eius inſultatio me adigit, qua Cenſoribus veſtris quorum vnus decreto veſtro fui, exprobrat impotenter quòd Sanctos Patres, quorum teſtimoniis reſpondere ſe poſſe diffiſi ſunt, vnà cum illo condemnarint; quòd eorum authoritatem vel ſpreuerint vel neglexerint; nec magno à ſe in pretio haberi oſtenderint, cùm nec leuiter attigerunt; quòd eam propoſitionem hæreſeos notarint, quæ certam & exploratam apud illos vt & apud Authores omnes Catholicos doctrinam complectatur; quòd cùm ad tot & tanta teſtimonia reſpondere ne tentauerint quidem, (ſicut ipſorum erat ſi tueri cenſuram ſuam vellent) pro confeſſo habendum reliquerint Patres etiam ipſos eſſe à ſe damnatos; adeoque Chriſtianæ fidei exitialem plagam intulerint, quam perſpicere ſine gemitu nemo ſcienter pius aut piè ſciens poſſit, vt à ſe vſurpari ex Auguſtini verbis notat. Ita-ne verò inſultationem illam tam enormem & tantam ſine cicatricibus abire permitterem? nec illum eius faſtum ſeſe altiùs efferentem, quia inflatione ſuâ tumidum, repercuſſo tumore compeſcerem? ne de omiſſione noſtrâ tam fruſtraneè quàm inaniter glorietur. Nam etſi non eſt Inquiſitorum (ſicut ipſe prætexit) vt ad eorum rationes atque obiecta reſpondeant, in quos inquirunt, ne cauſidici ex Iudicibus fiant; & hæc eſſe potuit cauſa cur cæteri Cenſores ea fortè prætererint quæ nullam vim habere (quia perperam ac infidè prolata) cenſuerunt, habere autem ſummam poſſe ſi ſincerè ac fideliter proferrentur: Faciam tamen velut ex abundanti per eorumdem aſſenſionem, ac per indulgentiam veſtram, ego infimus ac poſtremus quod omiſiſſe vniuerſi diffidentiâ ipsâ cauſæ atque impotentiâ, non ratione vllâ congruenti vel conſilio inculpato & innoxio, exprobramur.

Sed antequam id aggrediar quod omnium noſtrûm eſt & in omnes redundat, cogor aliud quiddam breui excurſione perſtringere quod ſpeciatim in me ſtrinxit, vt retorqueam ac retundam; dum fallaciter ea refert, vt odioſa reddat, quæ in priori meâ Diſſertatione longè aliter protuleram; ſiue fallere ipſe vltrò voluit (ſicut & ſæpè ſolet) ſiue obliquâ & infidâ ſuorum Exſcriptorum relatione deceptus eſt.

I.

MEminiſtis opinor (Antistites Illvstrissimi et Sapientissimi Patres) quòd cùm inter cæteras Appendices quas pro ſuâ defenſione compegerat, eius quam ſummoperè vrget diſcuſſionem præterirem, quia neceſſariam non putaui, an iuſtus necne Petrus eò vſque firmiter perſtitiſſet, donec negationis Chriſti crimen actu ipſo incurrit, an iam alia negationem illam crimina præceſſiſſent, nihil ex meo ſenſu intereſſe dixerim

ad præſentis controuerſiæ ſtatum, vt perſtitiſſe iuſtus aſſeratur (ſicut aſſerunt multi) cùm ex illius tamen culpâ non debitè conantis contigerit vt à Deo deſeri mereretur qui de ſuis viribus præſumpſiſſet. Meminiſtis vt eâ ipsâ occaſione notauerim alios quidem iuſtos eſſe qui deſerantur ad interitum ſempiternum, quia poſt caſum non reſurgunt, ſed in peccato perſeuerant; alios autem qui nonniſi ad tempus deſerantur, quia cadere permittuntur vt cautiores eos firmioréſque caſus reddat vbi reſurrexerint; nec tam peccant vt peccent, quàm vt aliquod maius bonum (ſic indulgente Deo) ex peccato reportent. Meminiſtis vt illos quidem primos nunquam ſine graui negligentiâ vel contemptu deſeri addiderim; quia indignum Deo eſſet vt ab amicitiâ ſuâ perpetuò excluſos vellet, qui nec illam grauiter violaſſent: Nihil obſtare verò quin ad poſteriores deſerendos præſumptionis culpa ſufficere intelligatur, etſi dumtaxat venialis, quia experimento ſuo doceri debent quo auxilio indigeant vt perſeuerent firmi; adeoque ſubtrahi Petro aliquantulùm potuiſſe, quo ſe non ſatis indigere intelligebat, quia nimiùm de ſeipſo præſumpſit; etſi ei anteà non defuit vnde cauere præſumptionem poſſet, ac proinde negationis culpam non incurrere quæ ſequela præſumptionis huius fuit, ſi præſumere noluiſſet.

En quæ à me vtique dicta meminiſſe poteſtis, & vt confido, meminiſtis: An ab omnibus necne vniformiter approbata nihil ad præſens refert: Non improbaret fortè (imò ſine dubio non improbaret) Sanctus Thomas, qui Petrum ait excidiſſe à charitate cùm negauit, vt ſtudioſè Arnaldus refert vix non inſultans mihi quaſi aliud inſtruxerim; ſed illud ipſum præſumptione ſuâ demeruiſſe quod negauit, vt ex alio eius loco poterat, ſi ſincerè ageret, eruiſſe.

Quàm fideliter porrò mea illa omnia ſinceréque retexit! eâ nempe quâ ſolet veritate: Quaſi non peccet judicio & ſenſu meo, *qui juſtos aliquos interdum ad tempus à Deo deſeri agnoſcit*, vt ipſe nudè ac ſimpliciter infert; deſertionis cauſam reticens quam adjunxi ex culpâ repetendam: Quaſi gratiâ caruiſſe dixerim Petrum *quâ ingruentem tentationem ſuperare poſſet*, vt rurſus infert abſolutè, cùm eam tantùm indicauerim defuiſſe quâ illam actu ſuperaret, non abſolutè quâ ſuperare poſſet: Quaſi *juſtos à Deo deſeri poſſe concedam dummodò ſint poſteà per diuinam gratiam à lapſu ſuo erigendi; aliter verò negem; ac eo ipſo monendus obiter ſim ne ſententia illa mea ad Caluiniſtarum hæreſim aliquantulùm accedat, qui nunquam iuſtos ita à Deo deſeri aiunt, quin tandem aliquando ad eum ſint reuerſuri*; vt inutili & nugaci reflexione vrget, mendaci tantùm & fraudulentâ non contentus. Quid enim? An ſic ego? Dixi-ne nunquam iuſtos deſeri, quin aliquando tandem reuerſuri ſint, cùm aliquos deſeri ad interitum ſempiternum notaui? Perinde ac ſi cœlum indicem cùm inferos nomino. Rectè alia non dixerim ſi non recta conuinci poſſunt: Annon hoc ipſe fraudulenter?

Sed fraudulentus ego nempe, qui *ei affinxerim nec affingere ſine manifeſtiſſimâ calumniâ potuerim*, *quòd ex Petro argumentatus ſit ad omnes*

juſtos: Ita ne verò? Non potiùs manifeſtiſſima hæc eius calumnia eſt vobis teſtibus apertiſſimè reuincenda? Dixi *ad juſtos* indefinitè tantùm, non *ad omnes*: Annon autem ad iuſtos illud pertinere indefinitè velle ſuâ ipſâ ſerie conuincatur? ne Ianſenium ei ducem ſuum atque anteſignanum obiiciam indefinitè ſic lòquentem, & hoc ipſum exemplum Petri eâ occaſione vſurpantem. Hærere tamen in his & immorari nolim; vel calumniis efficaciùs repellendis, quia per ſe corruunt ſi vel nemo impellat; vel dogmatum placitis accuratiùs euoluendis, quia per ſe nota ſunt, ſi vel nemo demonſtret; quamuis iam ab aliis idem conſtat apertiſſimè demonſtratum.

Pergo iam ad id quod præcipuè hàc in causâ ſpectandum verſandumque ſuſcepi; quam ſecurè ſe nempe ac auſpicatò Patrum authoritate tueatur; quàm eorum teſtimonia verè proferat ac ſincerè; quo iure ſpretos eſſe à nobis criminetur, ac eâdem cenſurâ cum ſeipſo damnatos; quâ fiduciâ ſimul in ſubſidium ſui Sanctum Thomam aduocet ne damnetur; & Caetanum aliosque Thomiſtas vt eiuſdem dogmatis quod verſamus anteceſſores vel conſortes oſtentet. Sed à priſcis Patribus ordiamur, & eos potiſſimùm accuratiùs expendamus quos expreſſiùs putat ſecum vel iiſdem diſertiſſimis verbis, vel ſenſu prorſus æquiualente vniformes.

II.

OCcurrit Chryſoſtomus inprimis, qui & ab illo præcipuè in ſcripto ſuo quaſi defenſor oſtentatur: Non iam vtique ille Pelagianus Chryſoſtomus quales eſſe inclamant Patres Græcos Ianſeniani confœderati, cùm repellere à ſe tanquam infenſos volunt; ſed Ianſeniſta repentè factus, & à priori ſenſu (ſi cælo placet) tanto mutatus interuallo, quia patrocinantem ſibi fauentémque præſumunt; quin & eadem ipſiſſima loquentem græcè quæ gallicè Arnaldus reddit, & ſolâ vocum tranſpoſitione diſcordem: Hoc enim eſt quod Sectione primâ ſuæ defenſionis primæ vrget, ac in poſteriore Apologetico Sectione 2. Cenſoribus inſultans faſtuosè inculcat: Sed cur porrò? Quia *en verba Chryſoſtomi fideliter è græco verſa* (inquit) *La cheute de Saint Pierre ne luy arriua pas pour auoir eſté froid enuers* Iesvs-Christ, *mais parce que la grace luy manqua: Elle ne luy arriua pas tant par ſa negligence que parce que Dieu l'auoit abandonné, pour faire connoiſtre que ſans Dieu l'on ne peut rien*: Quæ ſic latinè redderentur ad verbum: *Caſus Petri non propterea ei accidit quòd frigidus fuerit erga Chriſtum, ſed quòd ei gratia defuerit; non tam ex ejus negligentiâ contingit, quàm quia eum deſeruerat Deus; vt per hoc daretur intelligi nihil nos poſſe ſine Deo.* Æquiualenter autem tranſpoſitis vocibus dici putat quod ipſe dicit: *La grace ſans laquelle on ne peut rien, a manqué à Saint Pierre*: ſiue latinâ phraſi, *Gratia ſine quâ nihil poſſumus, defuit Petro*; adeoque ſi Catholica prima eſt quæ Chryſoſtomi propoſitio, cur ſit hæretica ſecunda quæ Chryſoſtomo æquiualens?

Atenim ſi hærere libèret in ſyllabis, & Grammaticum hîc agere (quamuis ad ſenſum verum ſic agere interdum refert, nec exiguè nunc intereſt) quidni quod fideliter verſum iactat, non ſatis fideliter verſum notare poſſem opportunè?

opportunè? Quidni verti dicerem debuiſſe hoc ipſum quod ex priori loco ſumpſit, *La cheute de Saint Pierre ne luy eſt pas arriuée par ſa froideur; mais pour auoir eſté priué du ſecours d'enhaut, ou depoüillé du ſecours de Dieu*: Vel ſic latinè, *quia ſuperno priuatus eſt ſeu denudatus auxilio*; iuxta Græcam expreſſionem ipſam, ἐγυμνώθη τῆς ἄνωθεν βοηθείας. Aut vt ipſe Arnaldus ex Latino retulit Interprete, cùm pro defenſione ſuâ ſcribit, *ſuperni auxilij derelictu contigit caſus Petri*, &c. Quidni aliud eſſe dicerem plano, ſincero, vero ſenſu, quòd ſuperno priuatus auxilio vel denudatus aſſeratur quiſpiá, & quòd ei defuiſſe dicatur? Quippe cùm denudatus aſſeritur, intelligitur hoc ei primùm adfuiſſe quo ſubinde priuatur, quia dignus eſt vt priuetur: Et cùm dicitur derelinqui, ſubindicatur ſic adjutus antea, vt hoc ipſum quòd poſteriùs derelinquitur, ex illo ſit; quia dignus eſt derelinqui ob demeritum ſuum ac defectum ille qui adjuuanti primus deſit: Sed cùm ei gratia nudè dicitur defuiſſe, non omnimoda tantùm & abſoluta defectio, ſed ſpontanea ex parte Dei abdicatio indicatur, quia iuuare planè nolit conantem licèt ac volentem; qui manifeſtus Ianſenii ſenſus eſt & expreſſus è Ianſenio per Arnaldum. Quidni ſubinde tandem vt catholicum agnoſcerem quod Chryſoſtomus dixit quia eſt expers fraudis; & exploderem vt hæreticum quod Arnaldus expreſſit, quia expreſſione fraudulentâ mutatum ac detortum?

III.

SEd grauiora ſubſunt quæ retorqueri aduersùs eum poſſint tam ſpecioſis Chryſoſtomi teſtimoniis abutentem; diſſimulata nempe deſertionis Petri vera cauſa, quæ in ipſius culpam refundenda ſit; prætermiſſa mentio poteſtatis quam habuerit Petrus vt ab eâ deſertione præcaueret; mutilata ſeries textûs ex quo prædicta colligere integra ſibi & ſinceriùs pleniùſque proferre (ne cæteros falleret) potuiſſet. Expendite (ILLVSTRISSIMI PRÆLES ET SAPIENTISSIMI PATRES) quid Arnaldus ex Chryſoſtomo dicat; Deum intelligetis deſerentem quia vult, quidquid aliud velit Petrus: Expendite quid Chryſoſtomus plus Arnaldo; intelligetis non deſerentem Deum niſi quia metuit Petrus. Exhibeat ex Chryſoſtomo non frigidum nec negligentem (ideſt volentem & conantem) vt ex parte Dei ſtet quòd ſic ab eo deſertus eſt: Exhibet Chryſoſtomus nimiâ de ſe confidentiâ præſumentem, ſeipſum arroganter cæteris præferentem, ipſius Chriſti aſſertioni renitentem; indéque tot ob cauſas nonniſi culpâ ſuâ ſibiipſi relictum ac deſertum. Hæc illa tria quæ Chryſoſtomus ita in Petro reprehendit, vt ſubſequentis cauſam deſertionis hinc repetat, ne Deo tribuatur, non Petro; ſed Arnaldus excuſat quoad poteſt ne deſertio illa Petro tribuenda ſit, & non Deo: Excuſat autem quia τὰ ἐγκλήματα quæ *crimina* latinè reddita ſunt, reddi mitiùs debuerunt; vt materia reprehenſionis eſſent, quia feruentiores exceſſus erant; ſed peccata non eſſent, quia ex charitate procedebant. An ſic vtique Chryſoſtomus excuſat quod excuſat Arnaldus? *Quid ais Petre?* inquit: *Propheta dixit quòd oves diſpergentur; Chriſtus dictum Prophetæ confirmauit: Et tu dicis, Nequaquam! Propterea igitur eum labi per-*

miſit, &c. Et inferiùs: *Eum orare oportebat, ac dicere, Adjuua nos ne à te ſeparemur; ſed ſibiipſi fidit*, &c. *Quod in complacentiam ſui penè illum abduxit: Hoc ergo Chriſtus comprimere cupiens, negationem accidere permiſit*, &c. Et iterum paulò pòſt, vbi ea ſubiungit quæ non ſatis commodè à Latino eorum Interprete reddita conqueritur Arnaldus, quia ſibi non ſatis accommoda: *Duo crimina erant* (inquit) *& quòd nimirum contradixit, & quòd ſeipſum alijs antetulit: Imò tertium quoque, quòd ſibiipſi omne tribuit* (ſiue totum aſcripſit.) Ex quo infert: *Hac igitur omnia ſanans Chriſtus negationem permiſit*, &c. Et rurſus infra (cauſam reddens cur excuſſerit illum timor quo negauit) Nempe (inquit) *immoderatus ipſe fuit, quia ſuo plurimùm auxilio nudauit eum Deus; nudauit autem, quia plurima erat in illo complacentia ſui, & etiam renitentia contra Chriſtum* (σφοδρὸν πάθος τῆς αὐθαδίας καὶ τῆς ἀντιῤῥήσεως) qua verbis eius contradicere præſumebat: Quin & aliquantò poſt: *Nimij appetitûs honoris res hæc erat* (φιλοτιμίας πρᾶγμα) *Proptereaque illum non quidem ad negandum impulit* (*abſit*) *ſed auxilio ſuo vacuum ac deſertum reliquit*, &c. Denique ſic prædicta concludit: *Sibi omne tribuit dicens, Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor; cùm & addere debuiſſet, ſi auxilio tuo fruar.*

Hæccine verò ſic exaggerat Chryſoſtomus vt peccata non putet? Sed maximè quòd vanâ quadam & arrogante complacentiâ ſibi vim omnem tribuebat quæ tribuēda Deo eſſet, ac ab illo petenda; proindeque ad ipſum confugere prætermitteret, ſine quo non poterat exequi quod cum tantâ temeritate promittebat. Nec refert an aliud ſentiant quos Arnaldus congerit, vt hæc eſſe grauia neget: Satis eſt vt dum negat, non conſentiat cum Chryſoſtomo quem ſingularem ſibi hac in causâ Patronum nuncupauit, ac velut vno ſecum loquentē ore oſtentauit. Dicat cum Chryſoſtomo deſertum eſſe Petrum, quia in culpâ fuit; deſertum eſſe, quia ne à Deo deſereretur non orauit; deſertum ita eſſe vt ad negandum nullâ neceſſitate adactus ſit, vt non negare liberè potuerit, vt habuerit ſimul quo ſe à tanto malo liberare per ipſum vſum orationis potuiſſet. Hoc eſt quod Chryſoſtomus ait, & quod antè docuit Chriſtus, cùm admonuit vt oraret.

IV.

ATqui negligentiæ non fuiſſe alibi Chryſoſtomus aſſerit, in Epiſtolam ſcilicet ad Hebræos; vel certè non tam negligentiæ Petri quàm derelictionis Dei, quòd negauerit Petrus. Bene eſt: Cuius autem negligentiæ id non fuit? Segnitiei ac ſocordiæ, vt fert græca vox ῥᾳθυμίας· Nullius-ne interim alterius negligentiæ? Alterius omnino: Quænam illa ſcilicet? Prænotabo (Illvstrissimi Præsvles et Sapientissimi Patres) quòd per voſipſos apprimè ſcitis, eſſe negligentiam vnam quæ in effectum cadat, ſeu reſpiciat factum ipſum, cum id agere negligimus quod agendum eſt, & *ſocordia* nuncupatur; eſſe aliam quæ cadat, non in factum, ſed in media faciendi, cùm negligimus eligere media opportuna vt id agamus quod agendum eſt; ſed hanc rurſus duplicem eſſe poſſe; alteram quæ media negligit,

quia laborioſa detrectat, quamuis neceſſaria putet; alteram quæ negligit, quia ſe illis non egêre confidit vt ad finem optatum perueniat, & primam quidem rurſus ad ſocordiam pertinere, ſicut per ſe planum eſt, ſed ſecundam *præſumptionis* eſſe quæ ſufficere ſibi ſeipſam putat, & plus per ſuperbiam ſibi arrogat quàm per proprias vires poſſit. Intelligitis ex hac notatione, quæ non fuerit ex Chryſoſtomo negligentia Petri vt præcaueret negationem, & quæ fuerit alioqui. Non illa planè fuit, quæ quod agendum erat, agere negligeret: Ardebat quippe Chriſtum ſequi, ardebat confiteri, nec ab eo auelli vel deficere ſuſtinebat: Non illa fuit quæ negligeret eligere media quibus egêre ſe putaret ad id agendũ quod optabat: Eodem quippe quo ſequi cupiebat ardore quæcũque in ſpatia terrarum & quamcumque in ſortem iret, ac eodem ardore quo confiteri eum deperibat, paratus erat attripere media qualiacumque neceſſaria ſciret ad confitendum & ſequendum: Non illa (inquam) fuit quam Chryſoſtomus τῆς ῥαθυμίας (ideſt ſegnitiei ac ſocordiæ) dicit eſſe: Vel ſaltem initio talis non fuit, quam nempe tantus ardor & tam vehemens excuteret; quamuis & ipſa poſteriùs elationi tantæ atque arrogantiæ ſucceſſerit: Fuit negligentia tamen, fuit; Illa nempe quam dixi *præſumptionis* appellandam; quia ſeipſum ſibi ſufficere putauit, quia ſe auxilio diuino corroborari non petiit, quia nihil eſſe credidit quod ſuopte impetu ac propriis viribus eâ occaſione nõ vinceret; adeoque non poſtulauit adiuuari qui nec adiutorio indigere ſe ſenſit: Succeſſit porrò illi ipſi negligentiæ *præſumptionis* quam nimia confidẽtia pepererat, ſegnitiei ac ſocordiæ negligentia, quando in horto cùm orare deberet, obdormiuit: Et propterea fortè non abſolutè Chryſoſtomus aſſerit negligentiæ non fuiſſe, ſed cautiore phraſi *non tam negligentiæ* (ſegnis nimirum ac ſocordis) quæ poſtmodùm accidit, quantùm fuit deſertionis Dei quam priori præſumptione promeruit; quia etſi ſegnis non fuit primùm dum præſumeret, negligens tamen fuit dum præſumendo non oraret; nec poſteriùs eſſe negligens permiſſus eſt per ſocordiam, niſi quia per ſuperbiam priùs negligens extitiſſet.

Idem ergo eſt quod vno loco *non fuiſſe negligentiæ* Chryſoſtomus aſſerit, & quod alio loco *frigiditatis non fuiſſe* Vbi ſe admoneri patietur obiter tantus ille Doctorum Heros, ac tantoperè aſſiduâ Sanctorum Patrum lectione inſtructus, qualem non ita pridem ſui quidam nobis omnibus faſtu maiore quàm iudicio ad formidinem obiecerunt: Se (inquam) admoneri tantus ille vir patietur, quàm præpoſtero & quàm ſibi cõtradicente ſenſu Chryſoſtomi contextum expreſſerit, cùm in anterioribus eiuſdem loci verbis ita loquentem facit: *Nam cùm aſſertionis ſuæ feruore quodam non ſtaret Petrus, non quidem impulit ad negandum, ſed deſertum reliquit,* &c. Sic autem exprimere ſublatâ negatione debuerat, *cùm in ſuæ aſſertionis feruore quodam ſtaret*, ſiue *cùm in vehementiâ illâ ſuâ* (vel vehementi aſſertione) *perſiſteret*, quâ ſe numquam ſcandalizandũ promittebat: ideſt, cùm præſumere magis ac magis pertinaciter de ſe pergeret quod ſine Dei adiutorio non poterat. Scio deceptionis huius cauſam Latinum Inter-

pretem vel oſcitantem Typographum fuiſſe qui præpoſteram illam negationem adhibuit; ſed ſic decipi non debuit qui ſuccum Patrum intimis venis hauſit; & ne deciperetur, non ex græcâ dumtaxat phraſi, *ἐπειδὴ ἐπέμενε τῇ σφοδρότητι*, ſed ex contextu ipſo potuit informari quem negatio nugatorium reddit: Quomodo enim Petrus in feruore non ſtabat, cùm ſe non negaturum promitteret, ſi non fuit frigiditatis vt negaret? aut poſteriùs *non frigidum* faceret Chryſoſtomus quem anteriùs exhiberet *in feruore non ſtantem?* Nec id monere tamen velim, niſi vt intelligat indigere ſe aliquando vt vel ab iis moneatur quos infra ſe deſpicit velut leuioribus ac minoribus occupatos.

V.

Atque vtinam in eo ſolùm aberraſſet quod emendari ſine cenſurâ potuerat, quam grauiora eius errata meruerunt, & ſaltem attendiſſet cætera diligenter, vel fideliter protuliſſet, quæ non ſic Petro gratiam defuiſſe docerent ex Chryſoſtomi mente vt in culpâ negationis non incideret, quin adfuerit priùs vt in illam non incidere poſſet, ſi cauere præſumptionis culpam voluiſſet, Chriſti monitis auſcultando; ac declinatâ præſumendi confidentiâ periculum negandi præcauere; ſeu præſidium infirmitati ſuæ ne laberetur prouidere quod imminebat opportunum; ad illius nempe vim ac virtutem confugiendo quo deſerente prolapſus eſt, quia non implorauit adiutorem. Vidiſſet planè quod ſuperiùs relatum eſt, Petrum orare debuiſſe; debuiſſe dicere, *Adjuua nos ne à te ſeparemur*; addere pollicitationi ſuæ debuiſſe ne vltra modum præfidens eſſet, id ſe facturum quod ſpondebat, *ſi auxilio Dei frueretur.* An hæc porrò potuit, necne? Si non potuit, cur debuiſſe aſſeretur? cur arguitur quòd non fecerit? cur vt faceret admonitus legitur tam ſedulò, tam accuratè, tam inſtanter? Sin vtique potuit, per ſe potuit, necne? Vt per ſe potuerit, Pelagianum: Vt non per ſe, ſed per gratiam, quid eſt hoc niſi gratiam ei non defuiſſe per quam poſſet facere quod non fecit; poſſet non præſumere, poſſet quia non præſumeret opem diuinam implorare, poſſet ope diuinâ imploratâ ſe periculo negationis expedire? Vidiſſet quoque quod ibidem concludit Chryſoſtomus, & ad gratiam cum quâ poſſumus nec facimus, pertinet euidenter; vt eam aliquando ſufficientem non efficacem intelligat: *Magnum hinc* (inquit) *diſcimus documentum, quòd non ſufficit prona hominis promptitudo niſi ſuperno ſimul auxilio fruatur, & quòd nullum ex auxilio illo ſuperno lucrum reportamus, niſi adſit etiam promptitudo*: Vbi non refert quòd ſic in Petro & in Iudâ duo hæc demonſtrari ſubjungat, vt priorem quantumuis promptum dicat ideo cecidiſſe, quia *nullo fruitus auxilio eſt* cùm cecidit; poſteriorem verò nihil ex auxilio multo quo fruebatur profeciſſe, *quia noluit, nec ea quæ à ſeipſo erant ad id contulit*, &c. Quod enim Petrum nullo fruitum auxilio aſtruit ne caderet, ad hoc momentum ſpectat quo negauit, quia illo ſe priuauerat cùm præſumpſit; vt habuerit certè ne præſumeret, ſi eo vellet vti; & habuerit ne negaret, ſi præſumere noluiſſet; quamuis non habuerit efficaciter cùm negauit, quia demeruerat ne haberet; vt prædicta demon-

ſtrant quæ non aliter cum Chryſoſtomo cohærerent. Nec ambigere licet quin hæc viderit porrò tam accuratus Patrũ & tam perſpicax perſcrutator: Sed cur diſſimulauit à ſe viſa, niſi quia commoda ſuo dogmati non putauit? ea tantùm referens quæ incautis oculis illudere tam ſpecioſo quàm inani prætextu poſſent: Et Chryſoſtomo vniformiter conſentiens ac ipſiſſima cum eo loquens videri vult! Scilicet.

VI.

SVccedat Chryſoſtomo Victor Antiochenus quo pariter fautore gloriatur, & qui eadem propemodum cum Chryſoſtomo ſcribit, nec incommoda minùs aduerſaque Arnaldo, niſi caput & calcem amputaſſet quo ſe videbat premi, vt in trunco quæreret quod in integro non licebat. Quid enimverò ex Victore Antiocheno refert? Hæc pauca tantùm, quòd *nimiam illam quam præ ſe ferebant Apoſtoli audaciam animique fiduciam nonnihil comprimere & caſtigare volens Chriſtus, Petrum quidem in trinam negationem prolabi, cæteros verò omnes per fugam diſpergi paſſus eſt:* Vt & poſtea quòd *quantò Chriſtus Petri caſum magis affirmabat, tantò Petrus certæ prædictioni illius obnitens fortiori pectore officium ſe ſuum deſerturum negabat: At vnde, quæſo, tanta vis animi proueniebat? Non aliunde quàm ab incensâ charitate.* Sed videamus quæ omittat; ea nimirum quæ præcedunt & iam inde ab initio præmittuntur, ac ea quæ ſequuntur & finem claudunt; quaſi caput & calcem pari arte præcidens (vt præmiſi) quia ſibi obeſſe intellexit. Hæc ſunt quæ iam inde ab initio prætermittit quàm ſimillima Chryſoſtomo: *Cùm Petrum cæteroſque omnes precari & dicere oportuiſſet, Adjuua nos Domine ne à te auellamur, ſibi ſuiſque viribus nimiùm confiſi, ea temerè promiſerunt quæ non præſtiterunt:* En amputatum caput: Cur autem amputatum? Quia orare Petrum debuiſſe inculcat; potuiſſe indicat, quia debuit; culpabiliter omiſiſſe, quia non fecit; ac ſubinde ſequenti auxilio priuatum eſſe, quia prius illud neglexit; vt iam in Chryſoſtomo notatum eſt. Hæc ſunt etiam quæ prætermittit in progreſſu & quæ in fine truncat, non minùs quàm priora conſentanea Chryſoſtomo: *Nonnullam iactantiæ inaniſque gloriæ ſpeciem fiducia illa præ ſe ferebat: Et tu modò perpende quàm cautus Petrus ac modeſtus poſt lapſum euaſerit: Qui enim ante caſum nihil non ſibi arrogare audebat, poſt lapſum nihil ſibi, ſed omnia Chriſto Domino tribuebat. Offertur autem nobis hîc ſingulare documentum; nempe ad depellendas grauiores tentationes nullam hominis promptitudinem ſat eſſe ſi cæleſte ſubſidium deſit; neque vllam rurſum ſupernaturalem gratiam ſpirituale lucrum afferre ſi ſtudioſa hominis ſynergia non adſit:* En detruncatum calcem: Cur detruncatum? Quia rurſus in Petro culpam notat propter quã iuſtè deſertus eſt; quia præſumptionem carpit quã tribueret ſibi quod ab ope diuinâ dependebat; quia gratiam quandam ſupernaturalem aſtruit quæ ſpirituale lucrum non afferat niſi cooperetur homo; adeoque cui non cooperans deſit, eò quòd ſtudioſè cooperari nolit; non ei deſit ipſa vt fructuosè poſſit (ſi modò velit) operari; ſicut & rurſus in Chryſoſtomo præ-

miſſum eſt; adeóque ſic Petro adfuiſſe indicat eam *gratiam ſupernaturalem*, vt ex illâ fuiſſet ſpiritale reportaturus lucrum, ſi eidem cooperari voluiſſet. Audeat porrò in Victore Arnaldus (vt iam in Chryſoſtomo fecit) mutilum ſibi adjutorem ſperare quem integrum habeat aduerſantem.

VII.

SEd Hilarium fortè magis fauentem poſſit ac propitium experiri. Quid ita? Nempe quia Canone 21. in Matth. ſic ait: *Amariſſimè fleuit Petrus recolens trepidationis culpam ſe nec admonitum potuiſſe vitare*; vt & in Pſalmum 52. ſic expreſſiùs & pleniùs: *Neganti Petro claues tamen Regni cælorum non adimit, quia cùm per trepidationem obrepſiſſet negatio, voluntati tamen vſque ad martyrium confitendi fides firma non deerat: Sed aliud eſt nolle, & aliud non poſſe: Territus enim Petrus, etſi per carnis ſenſum reſponſionis non potuit tenere conſtantiam, per fidem tamen animi ſtatim fleuit.* Hæc enimverò ad id ſtabiliendum Arnaldus affert quòd Petrus in hoc ſtatu propriæ relictus infirmitati & à Deo deſertus tam grauem tentationem non potuerit ſuperare; non potuerit autem *potentiâ proxima*, vt intelligi ſemper velle ſubiungit. Annon autem ex eo conſequitur impoſſibile Petro tunc fuiſſe præceptum cuius tamen tranſgreſſione peccauerit?

Ita-ne porrò Hilarius? aut hic ſenſus illius eſſe poſſit? Quid enim ait? *Petrum nec admonitum trepidationis culpam vitare potuiſſe*: Hoccine idem eſſe Arnaldus putat ac ſi dicatur *impoſſibile fuiſſe vt trepidationis culpam Petrus vitaret?* Neſcit hanc vocem ipſo vulgatiſſimo vſu eum in ſenſum vſurpari, non vt per illam exprimatur impotentia faciendi, ſed vt vitium non facientis exprobretur. quia per illum ſtetit vt non faceret quod non fecit? Aut ex totâ ſerie textûs non intelligit illam eandem vocem eſſe hoc loco non aliter quàm in prædictum ſenſum vſurpatam? An ſi amicus de amico, vel herus de famulo conquerens dicat eum, etſi tot nominibus ac titulis ad aliquid præſtandū obligatus videri poſſet, non potuiſſe tamen id præſtare in heri vel amici gratiam quod ab illius fidelitate vel obſequio expectari meritò debuerat, ſic intelligi tam ridiculè oporteret vt illud ipſum ei prorſus impoſſibile fuiſſe diceretur; non autem eum ſic ingratū fuiſſe aut perperam affectum, vt nec facere ſuſtinuerit quod prædictas ob cauſas debuiſſet An ſi miles præ metu ac pauore in ipſo certaminis procinctu ſeſe in fugam vertens vituperetur quòd in pugnâ non potuerit ſtare qui thraſonicam audaciam ante certamen oſtentaſſet, id ad impotentiā eius non ad puſillanimitatem & ignauiam referatur? An proinde cùm Petrus aſſeritur trepidationis culpam nec admonitus potuiſſe vitare, indicatur impotentia Petri, non ignauia de quâ monitus erat? aut non feciſſe reprehenditur quod ei factu impoſſibile ſupponitur fuiſſe, non quòd ſatis puſillanimis fuit vt non faceret?

Alióqui cur culpam trepidationis recolens amariſſimè fleuit ſi vitare omninò non potuit? An fleuit factum quod non facere impoſſibile illi fuit? Annon potiùs fleuit ſe adeo formidoloſum & inertem vt non faceret quod

potuit, quia in promptu fuit vt faciendi vires oratione impetraret? Annon is quoque ſenſus Chriſti ſomnolentiam exprobrantis, cùm ait: *Non potuiſti vnâ horâ vigilare mecum?* Quid eſt, *non potuiſti?* An vt impoſſibile illi fuerit? (quæ inepta exprobratio eſſet) an vt non vigilarit quia tam ſegnis & tam ſocors poſt ardorem tam vehementem oſtentatum euaſit? Nec expreſſiùs id potuerit Chriſtus inſinuare, cùm ſubintulit, *Vigilate & orate vt non intretis in tentationem*: Cur enim vigilare moneret, cur orare, ſi neutrum illud poſſet Petrus, neutrum cæteri poſſent? & quidem ſi non poſſent vt in tentationem non intrarent, vel deſerendi eum vel negandi, ſicut explicant paſſim Patres. Num & eodem ſenſu Hilarius nec admonitum Petrum trepidationis culpam potuiſſe vitare ait, quia non vigilauit, non orauit, non vigilando & orando ad illud ſe diſcrimen accinxit? Quaſi dicat quòd quamuis admonitus vt vigilaret & oraret, adeo tamen ſegnis fuit vt nihil horum efficeret; ſubindéque tam imbecillis & tam infirmus vt præ metu negaret.

Nec illa obſtant quæ Arnaldus ex Hilario aliunde ſubnectit quòd ſcilicet eſt aliud non poſſe, aliud nolle; quaſi non potuerit Petrus quod maximè voluit: Significatur certè quòd non potuit per ſeipſum qui per ſeipſum id ſe poſſe præſumpſit, ac per ſeipſum indebitè voluit; non quòd impoſſibile illi fuit ſi hoc debitè vellet, nec in defectum Dei negantis Petro quo poſſet Chriſtum non negare, ſed in vitium Petri non vtentis quo poſſet ad non negandum ſe firmare, ab Hilario refunditur hoc ipſum quòd negauit. Hoc eſt nempe quod ait, eum teritum *non potuiſſe tenere conſtantiam*, quia ſic eum timor totum concuſſit vt ignauum fecerit; & ſtetiſſe *per ſenſum carnis* vt conſtantiam non teneret, quia infirmam carnem iuxta monitum Chriſti corroborare vigilando ac orando neglexit. Atque hinc etiam eſt quòd *mox inconſtantiam trepidationis conſtans fides fleuit*, vt ibidem ſubjungit Hilarius; an flendam porrò, niſi quia vitare illam impoſſibile non fuerit; niſi quia vitio Petri & culpâ contigerit; niſi quia non defuerit ex parte Dei quo præcaueri potuerit? vt iam antè concluſum.

Cur ergo iſta ex Hilario tam faſtuosè inculcantur & majuſculis characteribus oſtentantur ad pompam, niſi vt ſplendidiùs fallant? Petrum ſcilicet culpam trepidationis *nec admonitum* POTVISSE *vitare*, vel teritum NON POTVISSE *tenere conſtantiam*; vt fingatur impoſſibile quod poſſibile fuit, & in gratiæ deſertionem de quâ nihil penitus Hilarius, hæc impoſſibilitas refundatur?

VIII.

NOn opus verò vt Auguſtinum, vt Baſilium, vt cæteros euoluã, quorum verba defectum Petri præ ſe ferunt, ex quo gratiæ deſertio ſit poſteriùs conſequuta vt non vitaret negationem, quia præſumptionẽ non vitauit. Quid enim Auguſtinus qui vnus illi omnium loco eſſe poteſt? Quid in illis iiſdem locis quos producit Arnaldus ipſe? Quid in Sermone 124. de Tempore, cuius verba truncauit? *Quid homo ſine gratiâ Dei poſſit, timor beati Petri euidenter oſtendit* (inquit, & hoc Arnaldus non omiſit)

Sed (quod omiſit ac ſuppreſſit Arnaldus) mox adiungit: *Per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, ſe promiſerat moriturum:* Quid in Serm. 117. *Intelligite dilectionis eſſe quod dixit, Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: Sed quia per ſolum ſui amoris ſtudium non addito etiam adjutorio Domini voluit eſſe promiſſum, ſtare non potuit,* &c. Quid in 106. Serm. de diuerſis? *Plus auſus erat quàm eius capacitas ſuſtinebat; plus promiſerat quàm poterat:* Scilicet quia *promiſit ſe moriturum pro illo, & non potuit nec cum illo,* vt ibidem præmittit Auguſtinus: Vbi alterum pro altero parum ſincerè commutari non oportuit, ſicut fecit Arnaldus; vt quia Petrus nundum poterat mori pro Chriſto, quod præceptũ non erat & non fieri ſine peccato tunc poterat, detorqueatur ad id quod reuerâ præceptum erat & ad peccatum obligabat; nimirum quòd etiam non potuerit Chriſtũ non negare, quem confiteri tenebatur: Nec oportuit rurſus vtrũque illud majuſculis ad fallendos incautos characteribus oſtentari quòd NON POTVIT mori pro illo vel cum illo, adeóque quòd plus promiſit quàm POTERAT; vt ei defuiſſe gratia per quam vitare negationem poſſet, tantò ſplendidiore fallaciâ quantò pompâ maiore indicetur: Sed nec diſſimulari ſubſequentia debuerunt quæ Auguſtinus ibi addit; nempe quòd quia Petrus *præpoſterè amauit*, ideo timuit & negauit; aut quòd *inordinatè amans* defecit ſub pondere paſſionis; vt hinc intelligere quiſque poſſet inordinato Petri affectui ac defectui tribuendum quòd auxilio Dei eum poſteà deſerente in culpam ſtatim negationis inciderit; & illud eſſe quod Auguſtinus verè ſentit. Quid in Ioannem tract. 92. *Non potuiſſe Petrum quando ancillæ interrogatione perterritus eſt, verum teſtimonium perbibere*; quia defuit illi charitas illa magna diffuſa per Spiritum-ſanctum in cordibus noſtris quâ poſteriùs cum Spiritus iſte ſanctus in deſcenſu perfudit; an & peccatum euitare non potuiſſe quo negauit, quòd ei defuerit gratia quâ id poſſet? An ex eius defectu factum eſſe omnino quòd negauerit Petrus, non ex timore magno quo contra ſuam pollicitationem compulſus eſt negare? vt ab Arnaldo prætermiſſum ſubjungit rurſum Auguſtinus. Quid libro de gratiâ & de libero arbitrio cap. 17. *Magnam Petrum non habuiſſe charitatem*, quando timore ter negauit; & paruam tamen ac imperfectam non defuiſſe quando dixit, *Animam meam pro te ponam*. Sed an hoc eſt iterum opem ei diuinam defuiſſe quâ magnam illam charitatem habere poſſet vt præ timore non negaret? ſi humiliter eam poſtulaſſet, nec ſe putaſſet per ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat, vt Auguſtinus rurſum addit. Quid de correptione & gratiâ cap. 9. * *Dixerat in abundantiâ ſuâ* (Petrus) *Animam meam pro te ponam; ſibi feſtinando tribuens quod ei fuerat à Domino poſtea largiendum: Auertit ab illo faciem Dominus, & factus eſt conturbatus*; vt quòd faciem auertente Domino conturbatus eſt, ex illius arrogantiâ intelligatur deriuatum.

Quid quòd aliis locis quæ ſuppreſſit Arnaldus, idem inſtantiſſimè vrget ac inculcat? Quid quòd ad Honoratum epiſt. 120. *Ex egregio* (inquit) *præſumptore tam creber negator effectus eſt?* Quid quòd libro 14. de Ciuitate

uitate Dei cap.13. *Illa prorſus ruïna quæ ſit in occulto, præcedit ruïnam quæ ſit in manifeſto? Et ideò audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile cadere in aliquod apertum manifeſtúmque peccatum, vnde ſibi diſpliceant qui jam ſibi placendo ceciderant: Salubriùs enim Petrus ſibi diſplicuit quando fleuit, quàm ſibi placuit quando præſumpſit.* Ecce quæ vera cauſa Petro negationis Chriſti fuerit, vel quæ fuerit ſaltem prima; non deſertio Dei, ſed præſumptio Petri, ob quam deſeri ex Auguſtini ſenſu dignus fuit.

Hoc ipſum eſt quod Arnobius junior ſuper Pſalmum 106. alluſione myſticâ notat, & alieno ſenſu ad juſtitiam Petri aſſerendam detorquet ac traducit Arnaldus: *Aſcendit Petrus vſque ad cælos, dicens Domino, Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: Deſcendit vſque ad abyſſos, dum negat:* Vt aſcendiſſe per ſuperbiam de ſe nimiùm præſumentem intelligatur, ac per puſillanimitatem deſcendiſſe. Hoc eſt quod Sanctus Leo ab Arnaldo relatus pro gratiæ neceſſitate generatim admonet, hanc eſſe cauſam Sanctis tremendi atque metuendi *ne ipſis operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ & remaneant in infirmitate naturæ*; deſerantur ſcilicet, quia priùs elati; deſerantur, quia deſeri ſuâ ipſâ elatione meruerunt; deſerantur, quia deſeruerunt primi; nec illis ex ſe ops gratiæ defuit, ſed per ſuam ipſorum culpam opi gratiæ defuerunt. Cur ergo hæc in Petro Arnaldus non expreſſit, vt in vitium Petri, non in deſertionem ac defectum gratiæ Dei, offenſa ipſa Petri refundatur? niſi quòd ita paſſim ille credulis Lectoribus abuti ſolet, cujus nec vllum ſcriptum vidi vbi non præfidenter teſtimonia Patrum ad ſuorum dogmatum nouitatem ſtabiliendam detorqueret. *Quod quale ſit & quàm Chriſtianæ fidei exitiale nemo ſcienter pius aut piè ſciens eſt qui cum dolore & gemitu non perſpiciat*; vt ſuas illi contra Cenſores veſtros ac voſipſos obtrectationes inſultabundas iiſdem verbis retaliem æquiùs ac reponam,

IX.

SEd hæc hactenus de Patribus quos perſtringere pro deputati veſtri officio me debere putaui, quia ille omiſſa inſultabat: Mihi jam ad Authores Thomiſtas veniendum pro eâ officii parte quæ meæ magis profeſſioni propria eſt; ſed præ omnibus ad omnium Principem Sanctum Thomam; quia & illud paſſim ita vrget Arnaldus, ita his ipſis Comitiis inſtantiſſimè inculcarunt & inclamarunt propugnatores eius & fautores, vt aut cum illo condemnari Thomiſtas atque ipſum etiam Sanctum Thomam, aut cum Thomiſtis illum ſit neceſſe abſolui.

A Cajetano exordior, cuius teſtimonium occaſione iſtâ ſic oſtentat, vt & *omnium illuſtriſſimum* velit eſſe quæ ad gratiæ deſertionem aſtruendam ex veteribus moderníſque produxit. Quale autem? His nempe verbis comprehenſum quæ in Matth. 26. ad illum textum, *Cœpit Petrus deteſtari & jurare*, ſic habet: *Conſidera & treme, ô vir juſte! Petrus ipſo* Iesv *atteſtante mundus ac per hoc in charitate exiſtens, Sacramentis corporis & ſanguinis Chriſti dignè communicans, præmonitus de futurâ tentatione, paratus potiùs mori quàm negare Chriſtum, ad vnius ancillæ vocem illum*

negauit, & ſucceſſiuè addidit perjurium: Quare hoc? Quia magna differentia eſt inter gratiam habitualem & illius vſum; quia non ſumus ſufficientes ex nobis ad vſum charitatis & gratiæ quam habemus in animâ infuſam à Deo; ſed egemus ad vtendum illâ, continuo & gratuito auxilio Dei; quo quia caruit Petrus tunc (quia Deus reliquit Petrum tunc) ſibi ipſi prædito charitate & gratiâ habituali, ideo cecidit & perdidit charitatis gratiam, &c En pro deſertione Petri gratiæque defectu tam illuſtre teſtimoniũ Cajetani, quod non minùs efficax & inuictum Arnaldus arbitratur, vt prima eius cauſa in ſpontaneum Dei nutum, placitumque recidat ac redundet.

Sed initium ipſum eorundem verborum eum potuit admonere ſic ea dici vt in cautelam iuſti cedant, ne quid faciat quo gratiam ſibi ſubtrahi mereatur; adeóq; ſupponant Petrum ideo eſſe à gratiâ deſertum, quia non ſibi ſatis cauit; quia tali deſertioni cauſam dedit; quia ſeipſum auxilii diuini antedicti ſubtractione dignum fecit: *Conſidera* (inquit) *& treme, ô vir iuſte!* Cur enim conſideret quæ ſic à ſolo Dei nutu ac voluntate dependeant, vt ea qualicunque conatu & conſilio præcauere non poſſit? aut cur tremat ac ſibi euenire formidet quod vitare non poſſit ne accidat, aut illius euentum declinare? cùm ad cautelam conſideratio data ſit, & ad id proſit timor vt à ruinâ quæ timetur declinet. Omnino ergo iuſtus conſiderare monetur ac tremere, quia penes illum eſt ne à gratiâ deſeratur ſi non faciat ob quod iuſtè deſeri mereatur. Tale eſt quod Apoſtolus ait 1. ad Corinthios 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*; ideſt caueat, vt ibidem interpretatur & commentatur Cajetanus: Tale eſt quod iam anteà Sanctus Leo, *cauſam eſſe tremendi Sanctis atque metuendi, ne operibus pietatis elati deſerantur ope gratiæ ac remaneant in infirmitate naturæ:* Tale eſt quod Bernardus, *Time cùm arriſerit gratia* (inquit Serm. 54. in Cant. *time cùm abierit: Cùm adeſt, time, ne non dignè opereris ex eâ: Nunquid commendat te Deus, cùm te gratiâ priuat? Aut nunquid qui humilibus confert gratiam, humili aufert datam? Ergo argumentum ſuperbiæ, priuatio gratiæ.* Nihil ab his aliud Cajetanus, nihil aliud planè: Præcauere admonet iuſtum quod non præcauit Petrus; non ſegnem eſſe, quia ille non vigilando depreſſus eſt; opem diuinam implorare, quia ille non implorãdo deſertus eſt; non ſuperbire, quia ille ſuperbiendo prolapſus eſt; ſubtrahendæ gratiæ cauſam non præbere, quia ille præbẽdo tam timendâ ſubtractione mulctatus eſt.

Sed quid moramur quin id intẽdat Cajetanus, nec intendere quidquam aliud poſsit? Attendamus alia quæ de Petri peccato vel ibidẽ præmittit, vel alibi vniformia notat. Quid ibidem præmittit in Matthæum? ſcilicet ſuper illud, *Reſpondens Petrus ait illi, Etſi omnes ſcandalizati fuerint*, &c. Id vſque vnde in ipſam Petri præſumptionem deſertio illius refundatur: *Petre* (inquit) *nimis de te præſumis, præferendo conſtantiam tuam cæteris condiſcipulis*, &c. Quid mox etiam ſuper illud, *Ait illi* IESVS, *Amen dico tibi, antequam gallus cantet, ter me negabis?* Nempe quod ex perſonâ

Chriſti Petro dicit: *Vobis omnibus communiter dixi quòd ſcandalizabimini: Tibi autem qui præfers te cæteris, dico peius futurum*, &c. Quid alibi eandem in rem vniformiter notat? ſuper Marcum ſcilicet ac Ioannem? *Petro* (inquit in Marcum 14.) *nimis ſibi arroganti conſtantiam* IESVS *peiora prænunciauit*, &c. Et in Ioan. 13. *Prædixit Petro tantum de ſeipſo promittenti quòd eſſet eum ter negaturus*, &c Et expreſsiùs inſinuare poſsit Cajetanus præſumptionem Petri cauſam negationis Chriſti extitiſſe, quia deſertionis cauſam ex quâ factum eſt vt negaret; adeòq; nec deſerendum Petrum ſi præſumere noluiſſet, ſi præcauiſſet ſibi, ſi vti auxilio ſibiipſi parato voluiſſet?

Illuſtrius verò eſt quod in 1. ad Corinthios 10. de tentatis omnibus generatim affirmat, nunquam illis deeſſe ad vincendas tentationes auxilium Dei, ſi eo vti velint; cùm expendens quod Apoſtolus ait, *Fidelis eſt Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere*, notat his verbis *declarari quòd Deus non ſinet illos tentari ſupra vires proprias; quia ſi ſineret, diabolus tentaret homines ſupra proprias vires:* Tum deinde ſubjungit: *Et dicit, Fidelis Deus; attribuens hujuſmodi non permiſsionem fidelitati diuinæ qua ſcilicet facit quod dixit; fidelis eſt enim in omnibus verbis ſuis: Dixit autem millies in ſacra Scriptura ſe eſſe adjutorem hominum in tribulationibus; alienum autem conſtat eſſe ab officio adjutoris hominum permittere vt homines tententur ſupra vires*: Et mox: *Non ſolùm non ſinet vos tentari ſupra vires, ſed adijciet hoc quòd faciet cum tentatione prouentum vt poſsitis ſufferre; hoc eſt, adjuuabit vt poſsitis ſufferre tentationem*: Et iterum paulò pòſt: *Dicit vt poſsitis ſufferre; & non dixit vt ſufferatis: Deus enim prouidet de euentibus neceſſarijs ad poſſe ſufferre tentationes: in arbitrio autem tentatorum eſt velle ſufferre: Sat enim eſt fidelitati diuinæ vt tribuat poſſe ſufferre: Ipſum autem ſufferre alterius gratia eſt quæ electis confertur, & non omnibus eſt communis.*

Dicat Arnaldus poſt anterius Cajetani teſtimonium, *Non video quid clarius vel expreſsius dici poſsit:* An de poſteriori reponere non poſsim illud ipſum? Quid enim expreſsius? Hoc omnino eſt quod vt illuſtriſsimũ oſtẽtari magnâ liceat pompâ & majuſculis characteribus exaratum in eum retorqueri, ſi eius faſtum imitari libêret: Non majuſculis inſigniri characteribus illud poſsit, DEVS PROVIDET DE NECESSARIIS AD POSSE SVFFERRE TENTATIONES? Non & illud, IN ARBITRIO AVTEM TENTATORVM EST VELLE SVFFERRE? Non & illud, IPSVM AVTEM SVFFERRE ALTERIVS GRATIÆ EST QVÆ NON OMNIBVS EST COMMVNIS? Ex quo ſubinde relinquitur ipſum *poſſe ſufferre* alicujus gratiæ dici quæ *communis omnibus* intelligi debeat, ita vt in eorum arbitrio ſit eâ vti qui velint; adeòque *ſufficiens* dumtaxat poſsit, & non actu *efficax* appellari Eat ergo nunc, & Cajetanum ſibi ſuffragantem oſtentet, quem non dubito quin refragantem planè ſpernat; nec reponerem niſi ex illo ipſo eum reuinci oporteret, cujus authoritate gloriatur.

X.

QVidni poſt illum quoque quem *præcipuum Thomiſtarum* inculcat, quia ſibi fauentem eſſe fingit, alium adiiciam è veteribus Thomiſtis vnum quales oſtendi ſibi ſolos atque opponi defenſores illius vrgent qui tantò priùs faſtu recentiores oſtentabant; Ferrarienſem nempe illum qui Sancti Thomæ Summam contra Gentiles nuncupatam Commentariis illuſtrauit. Et hic porrò gratiam actualem quæ nulli ad ſalutem negetur, quæ communiter adſit omnibus, quâ nullus niſi ob culpam ſuam deſtituatur aut careat, quàm euidenter, quàm expreſſe, quàm certò pronuntiat! Sic enim in tertium prædictæ Summæ librum ad centeſimum quinquageſimum nonum caput: *Conſiderandum* (inquit) *quòd cùm duplex ſit auxilium quo ad beatitudinis conſequutionem indigemus (ſcilicet habitualis gratia, & diuina motio tam intrinſecè quàm extrinſecè facta quâ ad bonum dirigimur, & ad gratiæ præparationem excitamur) primum auxilium Deus non omnibus dat, abſolutè loquendo, poſtquam peccauerunt; ſed bene omnibus ſe ad ipſum præparantibus ex diuinâ motione concedit; ſecundum autem auxilium omnibus expendit; & nulli quantum ad hoc abſens eſt Deus; cùm nullus ſit qui ab eo non moueatur ad bonum & ad gratiæ præparationem* (iuxta illud Apoc 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo*, &c.) *Sed quia diuina prouidentia vnumquodque ſecundùm naturæ ſuæ conditionem gubernat & mouet; homo autem eſt liberi arbitrij, potéſtque diuinam motionem ſequi & non ſequi; inde eſt quòd aliqui diuinam hanc motionem ſequentes, ſe ad gratiam præparant; aliqui verò ipſam non ſequentes non ſe præparant ad gratiam, ſed illi magis impedimentum præſtant peccando*, &c. Sic deinceps explicans poſt prædicta, quomodo imputetur homini vel non, quòd gratiâ careat, aut non faciat bonum: *Si auxilium illud* (inquit) *ſine quo non poteſt homo aliquod bonum agere, & ſine quo non poteſt quis ſe ad gratiam præparare, non eſſet omnibus commune, ſed alicui deeſſet, fortaſſis aliquam habet apparentiam, ſi is qui dicto auxilio caret, gratiam non acquirat; quia nulli videtur imputandum ſi non habeat quod ſine auxilio alterius acquirere non poteſt, ſi ſibi auxilium illud non adſit: Sed hoc veritatem habet dumtaxat, quando qui ſic priuatur, non fuit ob aliquam culpam ſuam cauſa talis priuationis: Sed ſi ipſe culpâ ſuâ fuit hujuſmodi priuationis & carentiæ cauſa, falſum eſt.* Sic iterum ad caput 162. poſtquam objecit ſibi quòd *is qui poteſt auxilium præbere ad vitandum peccatum, & non præbet, videtur eſſe indirectè cauſa peccati*; ac proinde videtur Deus eſſe cauſa illius indirectè, quia non ſemper auxilium præbet contra peccatum, & ſic ipſum peccatum Deo debere imputari *ex eo quòd non agit ad eius vitationem*; negat id ſequi cùm reſpondet, ac rationem iſtam addit cur id negandum reſpondeat: *Quia* (inquit) *ſi Deus non præbet auxilium, hoc facit ſic exigente iuſtitiâ & ſapientiâ ſuâ: Propter hoc dixit ſanctus Thomas quòd Deus aliquibus auxilia ſubtrahit pro merito ſuæ actionis, ſecundùm quòd eius iuſtitia exigit; aut ſcilicet ſecundùm quòd meretur actio hominis quæ peccauit; aut ſecundùm quòd debet actio diuina quæ iuſta eſt*, &c.

En vt Ferrarienſis ne peccatori quidem neget *motionem interiorem* per quam poſſit habitualem ſibi gratiam comparare aut ſe ad illam præparare ſi velit: Quantò magis eandem juſto motionem concedat ſemper actu & re ipſâ præſentem, per quam (ſi velit) poſſit ſibi gratiam conſeruare, nec ſe ab illâ ſeparare? En vt in peccatoris culpam ac defectum refundat abſolutè quòd motionem iſtam non ſequatur, nec ſe per ipſam ad gratiam præparet: Quantò magis in culpam vel in defectum juſti refundi putet oportere quòd nec eandem ſequens motionem ſe per imprudentiam vel ſuperbiam ſuam à gratiâ ſeparet? En vt adeſſe talem velit homini motionem vt ad gratiam à peccato reſurgat, vel reſurgere ſaltem (ſi voluerit) poſſit: Quantò magis adeſſe vt in gratiâ perſeueret vel ſaltem poſſit perſeuerare (ſi voluerit) nec in peccatum declinare? En vt cuiquam nolit imputari ad culpam quod facit malum, ſi contingat ſubtrahi auxilium ſine quo bonum aliquod agere non poteſt, niſi ſubtractionis hujus & carentiæ cauſa fuerit per actionem qua peccauit; aut niſi meruerit vt ei tale auxilium ex juſtitiâ ſubtrahatur: Quantò magis cùm talis fuit vt meruerit ſibi hoc auxilium quadam ſaltem congruitate conſeruari, nec niſi juſta juſto affectu fecit? Hinc verò intelligat Arnaldus an ſubtractum fuiſſe Petro Ferrarienſis vellet auxilium ſine quo Chriſtum nullatenus poterat confiteri, vel ſe à periculo negationis expedire, niſi ob culpam præcedentem (qualiſcunque fuerit) per quam ſubtractionis hujus & carentiæ cauſa fuit: vetus tamen eſt ac antiquus Thomiſta, & ideo hîc à me nominatim expreſſus, quòd iam illum his Comitiis produxerint alii, & Arnaldi etiam defenſores velut ſibi fauentem oſtentarint.

XI.

HÆrerem anceps an & recentiores à me illis opponi oporteret, ſiue proponi vobis producique Thomiſtas (Illvstrissimi Præsvles et Sapientissimi Patres) cùm eos tantùm nunc inclament qui Congregationem de auxiliis præceſſerint; qui ante Concilium Tridentinum ſcripſerint; qui vetuſtate ipsâ ſuâ poſterioribus præferendi ſint; nec de nouis (vt conqueruntur) in Thomiſticam Scholam introductis opinionum dogmatibus, ac penè ipſo (ſicut calumniari non deſinunt) ſuſcepto Moliniſmo ſuſpecti eſſe poſſint; niſi penè ineptum eſſet, ne dumtaxat injuſtum dicam, vt hoc exigant quod exigere illuſoriè ſuis ipſi rationibus conuincantur. Annon penè ineptum porrò vt cùm antiquos Patres qui ante Pelagii hæreſim de gratiâ exortam ideo repudient, quia nec accuratè ſatis, nec expreſſè de materiâ illâ quæ ſub eorum tempus nondum cœperat ventilari, ſcripſerint; ſolos autem alios velint qui poſteriùs eâ de re jam diſceptari cœpta ſunt loquuti, quia eam accuratiùs & expreſſiùs tractauerunt; nunc vice versâ eos tantùm Thomiſtas petant qui ante motas de Caluini ac Lutheri errore ſeu de Molinæ ſenſu & oppoſitâ ſententiâ difficultates, vel de illâ doctrinâ quæ controuerſa nondum eſſet, nihil omnino tradiderunt, vel minùs eam plenè aperteque verſarunt; ſed poſteros omnino repudient qui apertiùs eam pleniùſque verſare compulſi ſunt, quia cœperat explicatiùs diſceptari. Annon ineptum ac injuſtum vt cùm recentiores illos tanto faſtu hactenus oſtenta-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rint & inculcarint ferè ſolos, ac potiſſimùm eos qui Congregationi de auxiliis adfuiſſent, & in eâdem contra dogma Molinæ diſceptaſſent, ſicut in ſuo *de gratia victrice* libro Lalanius qui nobiſcum nunc ſedet ſub Abbatis *de bono loco* nuncupatione occultatus effuſiſſimè inculcauit; cùm eos (inquam) tanto faſtu iactarint ſemper & tam amanter amplexi ſint, quia quâ parte mutilatos dumtaxat proponebant, fauentes poſſent ac propitii credi; nunc eoſdem abdicent quia poſtliminio tandem ſibi ſentiunt aduerſantes; & quà integros aſpiciunt quales viderunt palàm exhiberi; nunc demum grauiſſimè, ac vehementiſſimè auerſentur, quia infenſiſſimos propemodum omnium & erroneo dogmati ſuo infeſtiſſimos vident. Licebit ſaltem vt quod proximè iſtis in Comitiis ipſi pro ſe fecerunt, ego viciſſim pro me præſtem; & quos quantumcunque recentes producere ſe poſſe duos putauerunt, quaſi fauentiores non haberent, in eos ego non ſine graui percuſſione retorqueam ex quâ vulnus inſanabile conſequatur: Etſi eorum alter quo iam antea illos gloriari plurimùm audieram, nihil ad nos profeſſione ſuâ pertinere videri poſſit, qui ad Ordinem *de Mercede* ſeu *de redemptione captiuorum*, cuius & Generalis fuit, pertineret.

Placet ab illo initium ſumere qui noſter eſt, & quem omnium primus honorandus Dominus Coppin hoc in ipſo conſeſſu magnâ mentis contentione ita produxit nuper ac vehementer inculcauit, vt hinc non ſine irâ nobis veluti Thomiſtarum deſertoribus ac Molinæ aſſeclis inſultaret; nouem eius authoris articulis longâ ſerie recenſitis quos & in ſuo ſupradicto Tractatu Lalanius non minùs accuratè congeſſit, vt Molinam probaret (quod planum eſt) non conſentire cum Thomiſtis; qui non ab illo tamen in gratiæ ſufficientis defenſione, ſed in ſolâ defenſionis ratione diuersâ diſſentiant, vt ex authore illo ipſo apertiſſimè mox conſtabit.

XII.

IS nimirum eſt Nauarreta, quem ſi prædictus honorandus Dominus Coppin reuoluere integrum voluiſſet, vel à ſe iis locis inſpectum ac perpenſum ex quibus emendare opinionem ſuam poterat, eadem quâ legiſſet integritate proponere, non opus eſſet mihi vt ea nunc vel inuitus ac nolens integriora reponerem quæ vel fortaſſe non inſpexit, vel ne ſuo nomini deeſſe videretur, licere ſibi putauit κοπῖν, ideſt pro arbitrio reſcindere quia commoda non videret. Pauca verò hæc tantùm quæ ad præſens pertinent, ex illius opere delibabo; vbi ad primam partem Sancti Thomæ ſuper 19. quæſt controuerſiâ 19. quærens, *an auxilium ſufficiens detur ad poſſe operari tantùm*, ad quæſtionem illam triplici propoſitione reſpondet quæ huc maximè pertineat.

Prima eſt quòd *gratia ſufficiens dicit ordinem cauſalitatis ad actum ex eâ producendum*: Hanc autem probat, quia *gratia ſufficiens datur per modum potentiæ quâ redditur homo potens operari*; *ſed omnis potentia dicit ordinem ad ſuum actum tanquam principium illius; ergo*, &c. Tum addit vt ſe ampliùs ac pleniùs explicet: *Itaque in hac propoſitione intendimus declarare quòd gratia ſufficiens ita requirat efficacem ad hoc quòd*

conſequatur operatio, vt tamen talis operatio non cauſetur ſolùm ex vi gratiæ efficacis, ſed etiam gratia ſufficiens concurrat.

Secunda eſt quòd *ſine gratia ſufficiente non elicitur actus ad quem impellit auxilium efficax:* Hanc autem probat, quia ſcilicet *auxilium ſufficiens datur tanquam fundamentum complendum per auxilium efficax; ſed quod ſe habet vt complementum ad operandum, dependet ex fundamento quod complet, ergo,* &c. Et paulò infra ſubdit: *Ex quo ſequitur quòd auxilio ſufficienti correſpondet operatio velut actui primo, efficaci verò velut complemento:* Et ad objectionem ſibi ſubinde factam de auxilio ſufficiente non requiſito ad efficax, quia efficax auxilium complet habitum ſupernaturalem, ſic reſpondet vt in reſponſione ſuâ interiiciat quòd *auxilium ſufficiens dicitur illud quo Deus præbet homini ſufficientiam vt actualiter operetur; ita quòd niſi per ipſum hominem ſteterit, Deus conferet auxilium efficax vt ſequatur actualis operatio:* Et paulò pòſt: *Aſſerit ergo noſtra propoſitio quòd collato auxilio ſufficiente, ſi homo non reſiſtat, Deus ex ſua liberalitate confert auxilium efficax tanquam complementum actuale; & quòd hoc complementum indiget concurſu auxilij ſufficientis, nec aduenit immediatè potentiæ naturali ad opera ſupernaturalia; ſed Deus immediatè præmouet hominem per auxilium ſufficiens, & complet hanc præmotionem per auxilium efficax.*

Tertia eſt quòd *cùm ex auxilio ſufficienti & efficaci procedat operatio, tum auxilium vnum quàm alterum reſpicit talem operationem; ſed vnumquodque ſecundùm ſuum modum; ſcilicet ſufficiens tribuendo potentiæ coaptationem ad ipſam operationem producendam, taliter vt per illum cui tribuitur tale auxilium ſtet non operari; & efficax tribuendo vltimam actualitatem & vltimum complementum vt ſequatur operatio:* Tum deinde: *Probatur ergo* (inquit) *noſtra propoſitio, tollendo æquiuocationem illius termini*, ſufficiens, *quæ multos fallit: Si enim diceretur auxilium ſufficiens, quaſi ſeorſum & ſecundùm ſe ſufficeret ad operationem, nulla eſſet difficultas in eo quod intendunt contrarij* (ſcilicet non diſtingui ſufficiens ab efficaci) *nihilominus dicitur auxilium ſufficiens, quia ſufficit vt habens illud ſic coaptetur operationi & ſic incipiat excitari ad eam vt eidem habenti imputetur quòd operatio non ſequatur: Et ita recipiens illud auxilium, habet in ſe ſufficiens principium vt dentur ei omnia neceſſaria ad operationem niſi culpâ ſuâ impediantur*, &c.

Et fauere putari potuerit quaſi per inſomnium Nauarreta vt non aliud quàm *efficax* aſtrueretur auxilium; vt cum execratione ac deſpectu exploderetur *ſufficiens*; vt ei non adeſſe omnino ad peccatum vitandum vlla gratia cenſeretur (excitans, actualis & interior) qui efficacem non haberet; aut vt innocens ac immunis videri poſſet propoſitio illa quæ Petro cùm negauit, ſeu in perſonâ Petri Iuſto gratiam defuiſſe quâ id vitare poſſet ſimpliciter & abſolutè pronuntiat, quia defuit ea per quam actu & reipsâ vitaret.

Rejiciat eam gratiam Nauarreta quam inuexiſſe Molina fertur, ſi talis eſt

eſt reuerà qualis famâ vulgari circumfertur: Et nos vtique rejicimus: Eam explodat nempe quæ per conſenſum voluntatis efficax fiat, ideſt vim quandam partialem à voluntate mutuetur aut recipiat: Explodimus: Reſpuat eam quæ ſic libero contemperetur arbitrio vt adueniat ſolùm cùm paratum viderit, vel cum illo parato incompletè concurrat: Reſpuimus: Eam agnoſci velit quæ vim omnem conferat voluntati quam habet, vt ſupernaturaliter agere poſſit; quæ per ſe ſit efficax (ideſt agendi potens) ac totalem effectum efficaciâ ipſâ ſuâ & virtute producat; quæ phyſico impulſu præueniat ac præmoueat operantem; quæ bonum quemuis motum excitet ac inſpiret affectum: Agnoſcimus:

Non ſic interim aut reſpuimus illam aut iſtam agnoſcimus, vt excedamus fines quos Eccleſia deſignauit: Sic vtrumque præſtamus vt quod ipſa integrum ac intactum reliquit, illibatum velimus; quod vtrinque doceri ac defendi permiſit, mutuis hinc & inde rationibus diſceptemus; quod indemnatum eſſe voluit, non damnemus; & illud ſolum quaſi non Catholicum auerſemur quod execrandum, abominandum, damnandúmque decreuit: Sed vt in explicandi modo diſſentiamus ab aliis alii, quia ſic diſſentire ſaluâ religione permittimur; non diſſentimus in re quam ſuo quiſque ſenſu explicare conamur, quia ſic diſſentire ſine fidei diſcrimine ac diſpendio non poſſumus.

Talem vtrique agnoſcimus gratiam, talem vtrique profitemur, quæ ſtatûs naturalis infirmitati ſufficienter ſubueniat; quæ operandi neceſſitatem non inducat; quam abjicere voluntas poſſit; per quam & poſſit operari ſi velit, poſſit non operari ſi nec velit; quæ ſpontaneæ negligentiæ ream faciat ſi operari noluerit; quæ ſic intelligatur ad non peccandum adjuuare vt quiſquis peccat illi deſit, non ipſa defuiſſe peccanti velut vltro ac ſponte dici poſſit; quæ potiſſimùm iuſto ad mandata implenda ſic præſto ſit vt abſit nunquam ſi ſuâ eam culpâ non arceat, nunquam negetur ſaltem ſi humiliter eam poſtulet; adeóque nec Petro defuiſſe dici debeat, niſi quia defectu ſuo eam abeſſe demeruit, niſi quia præſumens de ſeipſo eam non humiliter poſtulauit. Hoc eſt quod catholicum, quod orthodoxum, quod ſincerum, quod ſacris Canonibus firmatum, ratum & conſtitutum profitemur; nec aliud aut Nauarreta velit, aut vllus poſſit verus Thomiſta profiteri.

XIII.

HOc expreſſiùs adhuc ille alter docebit qui & vobis proximè (Illvstrissimi et Sapientissimi Domini) ante horam alteram tanquam noſter (tametſi non eiuſdem nobiſcum profeſſionis) obtruſus eſt; nec abdicandus nobis in hac parte de quâ controuertitur, quia noſtræ doctrinæ tam addictus. Franciſcum Cumel dico, vt pronuntiant multi; aut vt rectiùs pronuntiari debet Çumel, ſiue hiſpano idiomate Zumel; quem hîc ad pompam inclamatum audiſtis, quaſi ſufficientem gratiam neget, quia neceſſariam putat efficacem; aut ſuffragari videatur Arnaldo, qui deeſſe interdum illam juſtis cùm impleri mandatum debet, ſimpliciter aſtruit; ac defuiſſe Petro, cùm confitendi Chriſti occaſio tam pręſens ac pręceptum vrgeret. Etiam-ne?

Quid

Quid enim verò Çumel? Quid iis locis quos proferre cauerũt vehementer qui ea tantùm quæ fauentia ſibi vel per vmbram viderint, expiſcantur?

En quid ſuper primam ſecundæ ad quæſt.109. art.8. Dubio 3. Propoſit.1. *Certum eſt Deum habuiſſe vniuerſalem voluntatem circa omnes homines dandi eis media ſufficientia contra peccatum*, &c. Et mox: *Hæc propoſitio ita certa eſt vt non poſſit negari ſine præjudicio fidei & ſine magna injuria redemptionis Christi*, &c. Et Propoſit.3. *Nemo poteſt excuſari à peccato ex defectu Dei auxiliantis, prætendens excuſationem à culpa commiſſa ex defectu diuinorum auxiliorum. Et oppoſitum dicere non ſolum non eſt tutum in fide, ſed eſt contra Scripturam, & eſt blaſphemum contra Deum.* Et primo argumento reſpondens, addit infra: *Deus (quantum eſt in ſe) omnibus confert auxilium ſufficiens vt vitent omnia peccata. ſed cum ordine quodam; vt priùs quidem cor moueat, & alia minora auxilia præbeat: paratus maiora conferre ei qui prioribus cooperatus fuerit. Qui modus optimè aperitur & exponitur in Tridentino ſeſſ.6. Canone 6.* Et inferiùs adhuc: *Dico ergo quòd ſemper Deus confert ſufficiens auxilium & neceſſarium; & paratus eſt dare auxilium efficax & concomitans, niſi homo reſiſtat aut contradicat*, &c. Vnde concludit: *Cùm ergo Deus ſit paratus hæc dare, niſi homo contradicat & reſiſtat ob ſui culpam, ſequitur quòd habebit auxilia quibus de facto præcepta impleat & peccata caueat*, &c.

En quid ibidem Dubio 4. Propoſit.1. *Deus neminem obligat ad impoſſibile: Et oppoſitum dicere eſt blaſphemum, & pugnat cum lumine naturali*: Addit quòd iſta concluſio decernitur in Concilio Tridentino ſeſſ.6. cap.11. Et eam probat quia *Deus homini dedit liberum arbitrium & concurſum ſupernaturalem per quem præcepta poſſibiliter impleantur*: Et inferiùs: *Inſignis dementia eſt*, inquit, *dicere Deum præcepiſſe impoſſibilia: Nam Deus iniustè ageret, ſi impoſſibilia præciperet*: Quin & ſubiungit quòd ſi doceant Sancti omnes: Et Propoſit.2. *Deus nunquam denegat auxilium illud neceſſarium & ſufficiens quod requiritur ad implenda præcepta & cauenda peccata: Nam dato oppoſito, Deus non ſufficienter prouidiſſet hominibus, eos obligando, & nullas præſtando vires, nec auxilia ſufficientia: Et ſic rediret Lutheri hæreſis quòd Deus per ſuam legem obligauit homines ad impoſſibile.* Quid & Propoſit.3. *Semper Deus paratus eſt auxiliari & de facto auxiliatur quantum neceſſe eſt vt poſſit homo vitare peccatum: Neque eſt credendum de diuina pietate quòd alicui deneget auxilium ſufficiens ad ſalutem. Vnde quòd aliquis viator committat peccata, non eſt ex defectu auxilij Dei, ſed ex propria malitia; vt liquet ex iam dictis.* Ex iis quoque idem liquere addit quæ dixit 1. part. quæſt. 23. art.3. Diſput.3.4. & 5. vbi hac de re fusè à ſe fuiſſe actum notat. Et Propoſit. 4. *Videtur implicatio*, inquit, *Deum obligare me ad aliquem actum, quem ſi non facio, peccabo; & ſimul mihi denegare auxilium ſufficiens ad non peccandum*, &c.

En quid ad quæſt. 111. art.3. Dubitat. 2. *In hac dubitatione ſupponenda eſt*

ſides; nempe quòd quilibet homo in hac vita habet auxilium gratiæ neceſſarium & ſufficiens ad ſalutem conſequendam, vt ſacra literæ paſſim clamant: Sed & Diſput. 1. Propoſit. 3. *Gratia* (inquit) *actualis conuenienter diuiditur in gratiam ſufficientem & efficacem: Et ſanè vtrumque diſtinctionis membrum apertè ex ſacris literis colligitur :* Quarum teſtimonia poſt-quam aliqua recenſuit quæ ad illud vtrumque membrum pertinerent, mox addit: *Hæretici dicunt ſufficientem gratiam eſſe prædicationem Euangelij & externam vocationem , efficacem verò eſſe motionem internam qua Deus voluntati neceſſitatem infert vt faciat quod ipſe vult; ſine qua motione nullum dicunt poſſe conſentire: Sed hoc profectò eſt hæreticum : Quoniam nulla datur gratia efficax quæ tollat libertatem: Nam ſæpiùs in Scriptura dicitur, in hominis poteſtate eſſe conuerti & conſentire (Deuteron.30. Eccleſiaſt.14. Ezech.18 & ad Philipp.2.)* Et inferiùs rurſum: *Habemus igitur gratiam efficacem Dei non inducere neceſſitatem : Sed quomodo ſtet cum libertate in ſequentibus diſputationibus diſſoluetur : Interim ſufficiat ſtatuere ſufficiens gratiæ auxilium dici quo poſſumus operari ſi volumus; efficax verò quo de facto operamur.*

Mitto quòd Propoſit. 4. explicat ex profeſſo quomodo *nunquam auxilium ſit efficax niſi libero ipſo arbitrio conſentiente & cooperante,* quamuis tamen *efficacia illius auxilij (vt ſic) non refundatur in liberum arbitrium ſicut in primam cauſam :* Et rationem hanc ſubjungit quòd *alioqui nos ſaluaremus noſmetipſos ex nobis; quippe qui nos dedimus efficaciam auxilio Dei,* &c. Mitto quòd in reſp. ad ſecundam objectionem quam ſic ex Dilemmate confecerat quòd ſi auxilium ſufficiens tale eſt vt voluntas abſque aliâ motione vel auxilio poſſit cooperari ad ſalutem & in gratiâ perſeuerare, tunc redditur efficax per conſenſum ; ſin minùs , tunc perperam dicitur ſufficiens; ita reſpondet quòd *auxilium ſufficiens dat poſſe operari quantum eſt ex parte principij operatiui ; efficax autem dat actualiter operari, reducendo illud principium ad actum ſecundum & exercitum; & idcirco ſtat habere ſufficiens auxilium & non actualiter operari.* Mitto quòd in 2. Corollario velut omnium prædictorum reſumptionem, appendicem, & coronidem addit: *Colligo* (inquit) *quòd Deus nulli denegat auxilia neceſſaria & ſufficientia ad ſalutem ; imò verò Deus offert omnibus hominibus ſupernaturale auxilium ad ſalutem ſufficiens: Quæ ſanè veritas eſt de fide, & catholica ,* &c.

Petro ſcilicet ad confitendum Chriſtum , ad præcauendam negationem Chriſti, ad præceptum implendum quo confiteri tenebatur, ad vitandum peccatum quo negauit, gratiam defuiſſe ſine quâ nihil poſſumus , dicat hic author nudè ſicut Arnaldus ? Dicat non adfuiſſe ſufficientem per quam proximè poſſet id implere ſi vellet? Dicat impoſſibile conſequenter fuiſſe vt aut illud præceptum impleuerit, aut hoc peccatum euitarit? Dicat nihilominus peccauiſſe reuerâ & peccatum ad culpam ei eſſe meritò imputatum, tametſi ex gratiæ defectu quadam neceſſitate negauerit cùm non poſſet deficiente gratiâ non negare? Dicat hæc ille author, qui potiùs omnibus præſtò

eſſe gratiam neceſſariam ad ſalutem affirmat; qui auxilium ſufficiens contra peccatum nemini denegari vel deeſſe aſſerit; qui contrarium ſine præjudicio fidei & ſine magnâ iniuriâ redemptionis Chriſti affirmari non poſſe cenſet; qui effatum piæ illi aſſertioni oppoſitum & ex defectu diuinorum auxiliorum à peccato excuſans, vt blaſphemum in Deum, vt in Scripturam pugnans, vt hæreticum, damnat; qui aſſerere impoſſibilia præcepta ita vt nullas vires nec auxilia ſufficientia pro eorum impletione Deus conferat ei qui ad illa implenda obligatur, *dementiam inſignem* vocat; qui per effatum iſtud Lutheranam hæreſim renouari ac inſtaurari ſentit; qui obligari quemquam ad præceptum à Deo eâ lege vt peccet non implendo, & ei tamen auxilium ſufficiens ad non peccandum denegari quando præceptum implendum eſt, implicantiam putat. Sic nimirum Arnaldo ſuffragatur, vt eum ad illius defenſionem tantâ hic pompâ oportuerit oſtentari, & illâ ipsâ oſtentatione prouocare me vel nolentem, vt cuius alióqui teſtimonia ſicut & Nauarretæ producere fortaſſe neglexiſſem, quia nec mihi priùs viſi authores illi eſſent; ad reuincendum tamen præpoſterum eorum inſtitutum qui vtrumque incautè (ne fallaciter dicam) produxerunt, neceſſariò euoluerem ac in opponentium frontes cum eorum pudore ac opprobrio retorquerem.

Superſedebo producendis in præſens aliorum teſtimoniis Thomiſtarum, quia nec expreſſa illorum his Comitiis audita mentio eſt; etſi alius eis fortè dabitur locus vbi fuerit opportunum, ne ſuffragari fortè videantur errori, quia reticentur eorum ſenſa; cùm & in eius patrocinium pompaticè alibi aduocandi viſi ſint iis ipſis qui nunc eos repudiare vel ſupprimere maluerunt. Sed properandum ad Sanctum Thomam quem auidiùs à vobis expectari ex ipſo vultu veſtro ac nutu intelligo, atque ad ipſam ſcaturiginem prætercurſis riuulis recurrendum; vt quod alij iam aliqua ex parte delibarunt ad eius mentem & ſenſum ſpectans, ex his quæ à me relegenda & addenda ſunt pleniùs colligatis; niſi iam propemodum imminens meridies vltra progredi non permittat. Ah! Pulſat aures, ac proinde iam vocem intercludit.

SECVNDA PARS PRÆDICTI IVDICII, ſeu cenſorij ſuffragij, quæ propter conſtitutam temporis metam ac interceptum interuallum pronuntiari non potuit, & poſtridie proponebatur proſequenda, niſi iam propoſitæ ab initio exceptiones obſtitiſſent.

EÒ ergo ventum eſt poſtliminio tandem quò potiſſimùm vobis impellentibus collimabam (ILLVSTRISSIMI ANTISTITES ET SAPIENTISSIMI PATRES) vt expendi deinceps oporteat velut ad præcipuum deliberationis veſtræ firmamentum ac pondus poſt canonicas leges, quænam Genij ac Principis Theologorum Sancti Thomæ in eâ quam verſamus

controuerſiâ mens fuerit; & an in idem periculum damnationis cum Arnaldo incurrat, quia ſic incautiùs meticuloſi timent; an illius protectione ita tectus Arnaldus dici poſſit, vt quia tam ſecurus & angelicus catholicarum veritatum aſſertor extra omnem aleam poſitus eſt, neque vllâ cenſurâ veſtrâ damnari poteſt, non poſſit quoque non abſolui Arnaldus, quia ſic audaciùs præſumptuoſi putãt; aut innoxia exiſtimari poſſit eius propoſitio & immunis à labe, quia tam ſanæ, tam ſinceræ, tam inculpatæ integræque doctrinæ ſit conformis.

I.

HIc enim verò penè totus in lætiſſimam gratulationem quãtam capere ſenſus poteſt, effundor; ac effundi Thomiſta quiſque mecum debet; quod eas partes illi veſtro, illi omnium, illi peculiari Doctori noſtro hac in causâ ſeruaſti, vt illius arbiter penè vnanimi cõſenſione veſtrâ. illius iudex penè diuino ſenſu & arbitrio ſuo conſtitui debeat; & hoc ratum ac fixum fore anticipatâ ferè concluſione decreuiſtis, quod eius eſſe, quod ab eo traditum, quod ei non aduerſum ac inimicum plenâ fide conſtaret: Nec ſic vtique illud mihi aut conſortibus meis in eiuſdem communione doctrinæ ſuâ mecum profeſſione versãtibus arbitror gratulandum, vt non Religioni magis, non Eccleſiæ, non huic veſtræ tam inſigni & ſacræ Facultati gratulari debere me ſentiam; quòd ad concipiendum & èfformandum iudicium veſtrum in eam conſentire doctrinam voluiſtis quâ nulla eſſe poſſit Religioni ad pietatem ſalubrior; nulla Eccleſiæ ad veritatem integrior; nulla cœtui veſtro ad priſcæ dignitatis gloriam & commendationem ornatior; & Maiorum eâ in re veſtrorum veſtigiis ita putaſtis inſiſtendum, vt quam eidem Sancto reuerentiam ante trecentos & ampliùs annos cum Stephano Pariſienſi ſuo conſtituerunt exhibendam, ne quâ doctrinam eius labe permitterẽt affici quem purioris Theologiæ lumen ac iubar agnoſcerent, idem etiam vobis non minùs pio & laudabili zelo conſtitutum oſtenderitis ne vocari apud vos occaſione iſtâ in examen pateremini vel in cenſuræ ſuſpicionem trahi quod cum illius vero ſenſu vel manifeſtâ expreſſione vllam habere conformitatem videretur.

II.

ATque vtinam quod ab omnibus propemodum vno veluti ore perſonatũ eſt, vno conceptum eſſet corde, vnâ intentione deſtinatum; ac parem omnes ad illius tam iuſti conſilii perficiendum inſtitutum ſinceritatem attuliſſent! Sed quam & qualem ab Arnaldo vel ab eius defenſoribus atque aſſeclis expectare quiſpiam poſſit? vbi tot argumẽtis exploratum hactenus conſtat quàm fraudulenter, quàm infidè, quàm veritate diminutâ, vel quàm fallaci ac mendaci artificio quædam eius tam angelici diuinique Doctoris loca ſine pudore protulerint; laciniis dumtaxat oſtentatis quas ab integro textu auulſerunt, quia ſic ſibi opportunum arbitrati ſunt; ac reliquâ ſerie detruncatâ, quia illius pleniore contextu euoluto peremptoriè ſe conuinci viderunt; quædam verò diſſimularint, ſuppreſſerint, ablegauerint; quæ videre non modò multò plura & innumera, ſed meridie clariora & in-

dubia potuerunt ſi falli noluiſſent; ac proferre in oculos omnium palàm, niſi fallere voluiſſent.

III.

ILlud porrò eſt quod in præfatione illâ meâ de qua tam vehementer velut iniurioſâ ſibi conqueruntur & quam diſſimulato per fraudulentam induſtriam incredibili labore meo lucubrationi alienæ affixam à me videri volunt, inculcare aduersùs illos non dubitaui veritatis confidentiâ fretus, & iam in Comitiis Facultatis ad 1649. annum habitis ac in ipsâ iterum Palatii Archiepiſcopalis aulâ vbi Regentis partes in vnius ex noſtris nouo Magiſterio exequebar, publicè inculcatum referre; cùm eos nempe hac de cauſâ *vt impoſtores, vt falſarios, vt Sancti Thomæ deprauatores ad quocunque tribunal vellent prouocaui*; vel cùm eos apertæ fraudis interpellans, dari ſimul arbitros mihi à Facultate poſtulaui exceptione omni maiores *coram quibus illius clariſſima teſtimonia vel ab ipſis diſſimulata, vel truncata ſine ambage vlla & effugio conuincerem.*

Illud eſt quod in ſuo *de gratia victrice* opuſculo quaſi triumphum canens Lalanius præſtitit ſub Abbatis *de Bono-loco* ementitâ nomenclaturâ occultatus tunc, ſed aliunde ſatis notus & coram vobis modò præſens, vbi & eum rurſus vobis teſtibus interpello, vt huic meæ compellationi planâ, ſincerâ & integrâ locorum quæ produxit cum illis quæ producam collatione reſpondeat; non tergiuerſans, non in diuerticula ſe coniiciens, non ſub foliis & ſub vmbrâ vt lucifuga ſe occultans.

Illud eſt quod Arnaldus in Epiſtolâ ſuâ præſtat & præſtandum videtur ſuſcepiſſe, quaſi oculis incautorum illudens aut non timens oculos pennatorum, ſed fraudulentum coram expandens rete, vt columbas non habentes cor eâ fraude ſeductas illaqueet; cùm ea Sancti Thomæ teſtimonia magno congerit apparatu quæ nihil minùs quàm inſtitutum probent; quæ Iudæis gratiam ex vi legis conceſſam non fuiſſe ad iuſtitiam conſequẽdam & exercendam inſinuent, ſed aliunde ſufficienter datam ad futuri Mediatoris fidem (per quam iuſtificari poſſent) concipiendam & profitendàm non excludant; imò potiùs euidenter, indubitato & apertè ſupponant; quæ quidlibet aliud ex profeſſo magis oſtendant quàm quòd iuſtis gratia nudè ac ſimpliciter deſit ad præcepta cùm vrgent obſeruanda; vel quòd vtique Petro ad confitendum Chriſtum ſiue ad præcauendam Chriſti negationem defuerit; àdeóque non adfuerit ei ſufficiens, quia efficax non adfuit; nec adſit iuſto quæ ſufficiens dici poſſit quando efficax deeſt.

IV.

IDem illud ergo eſt (Illvstrissimi et Sapientissimi Domini) quòd hac vltima meæ deliberationis ac ſuffragii Appẽdice de manifeſtâ fraude poſtulandum & conuincendum aggredior, vbi præmonuero quam fraudulentâ rurſus & fallaci exceptione ſolas eas Doctoris tanti authoritates recipere ſe velle paſſim iactent quæ poſtremis illius operibus & ſcriptis continentur; cæteras nunc abdicent in iis tamen locis expreſſiſſimè conſignatas ex quibus priùs adulterata, deprauata, detorta, detruncata teſtimonia tam

glorianter oſtentabant; quàm non humano ſenſu per inauditam eum anatomiam à ſeipſo diſcerpant modò quem ſuum eſſe totum tam impotente priùs faſtu iactabant; quàm irreuerente contemptu dum interim illuſoriam ei reuerentiam exhibere ſe fingunt, eum in tecta ſua recipere nonniſi ſenem velint, iuuenem eliminent, cuius antea ſolam nobis quaſi fauentiorem ſibi iuuentutem non deſinebant obiicere, cùm non alia loca magis vrgerent quàm quæ ſententiarum libris ac diſputatis quæſtionibus impacta ſunt; imò etiam ea quæ ab illo iuuene tantùm & ſemel quidem quaſi per appendicem vſurpata ſatis intelligitur maturiori tandem ætate abdicaſſe, ne quid in iis ambiguum, tametſi verò ſenſu prolatis propter prauum quorundam intellectum (ſicut nunc accidiſſe videmus) remaneret. Sed enim ego qui tam diuinam eius in omni vitæ parte ſapientiam ſuſpicio, & cui ſemper ille (vt olim de alio minùs verè dictum eſt) extitiſſe videtur ἐν γήρασι παῖς, ἐν παισὶ γέρων, ſenex nimirum puerili ætate propter maturitatem, puer ſenili ob illibatam puritatem (ſi ſenex tamen fuit qui ætatis quinquageſimum annum non exceſſit) ego, inquam, qui nunquam eum non plus homine ſapuiſſe provt ferebat ætas, videri velim; & vtraque pariter quanto poſſum affectu colo quæ vel ſcripſit iuuenis vel maturus, niſi cùm poſteriùs reuocaſſe priora conuincitur; ea ex omni loco paſſim congeram vniuerſa quę ad illorum conuictionem per ipſius authoritatem pertinebunt; vt eam illos iuſtè pati compellam legem quâ conſtringere priùs ipſi cæteros voluerunt, cùm opportunam eam ſibi putarent & fauentem; ac in eorum frontes retorqueam ad confundendas illas, quod in oculos aliorum ad eos excæcandos aut illudendos intorſerunt.

V.

NEc per omnia generatim excurram aut euoluam ſingula quæ gratiam ſufficientem ſpectent, ex illius teſtimoniis aſtruendam: Ea perſtringam tantùm quæ ad præſentem quæſtionem referri poſſint, aut ad eam propriùs pertineant; vt illam ſtabiliam quæ Petro non defuit ad confitendum Chriſtum, quæ iuſto nunquam deſit ad præceptum implendum, quæ ſemper ei adſit cui non impleti præcepti culpa imputetur.

Sic autem ea ſigillatim & ordinatim recenſebo vt intelligant omnes quā prioribus poſteriora conſentiant; quàm à ſeipſo Sanctus Thomas iuuenis à maturo non diſſentiat; quàm non aliud hac in parte cùm primùm ſcripſit aut aliud ſentiat cùm extrema perfecit; ac ex omnibus vniformiter conſtet quod per ſingulas claſſes vel appendices diſtribuam, eam hanc eius eſſe mentem quòd nulli Deus deſit in agendis neceſſariis ad ſalutem; quòd cuilibet ad peccatum vitandum (iuſto præſertim ac fideli) ſufficienter adſit; quòd non obliget ad præcepta quæ impleri non poſſint, nec eorum tranſgreſſionem in peccatum imputet cùm non poſſunt impleri; quòd non omnis gratia interior & actualis ita efficax prorſus dici debeat vt effectum habeat ſemper, ſed ſit aliqua cui reniti homo poſſit aut per negligētiam ſuam eius effectum impedire; quòd nunquam prima cauſa cur deſit qualiſcunq; gratia vel effectu fruſtretur, Deo aſcribenda ſit non homini, aut in diuinam

non humanam refundi voluntatem ; ac per conſequens Petro ſic efficacem defuiſſe ad præceptum implendum actu peccatumque vitandum, vt ex vitio Petri non ex Dei defectu defuerit ; & alióqui ſufficiens antecedenter ſaltem adfuerit per quam vitare poſſet quod commiſit, poſſet implere quod omiſit.

PRIMA CLASSIS AVTHORITATVM Sancti Thomæ pro gratiâ ſufficiente aſtruendâ.

STatuendum inprimis quàm expreſſè aſtruat Sanctus Thomas quod primo loco propoſitum eſt à me ad gratiam ſufficientem aſtruendam ; ſcilicet nulli Deum deeſſe in iis quæ pertinent neceſſariò ad ſalutem.

Quid expreſſius quàm quod in quæſtione 14. de veritate art. 11. ad 1. ait? *Hoc ad diuinam prouidentiam pertinet vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem, dummodo ex eius parte non impediatur*, &c. Quid expreſſius quàm quod in Iſaiæ cap. 5. ad illa verba commentatur : *Quid potui facere vineæ meæ & non feci?* cùm ſcilicet præter alias interpretationes quę ad locum præſentem non pertinent, id ad animam fidelem refert, cui juſtè à Deo exprobretur quòd cùm ab eâ expectaret vuas , fecit labruſcas ; ideſt loco judicii & iuſtitiæ fecit iniquitatem; non obſtante quòd quantum eſt ex parte ſuâ nihil facere Deus omiſerit per quod ad juſtitiam & fructus bonos eam ſuis beneficiis præpararet , *&c.* Quid expreſſius quàm quod in illud 1. ad Corinthios 1. *Fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius*, &c. inde infert omnibus miniſtrari à Deo quæ ſunt neceſſaria vt ad illam ſocietatem poſſint (ſi velint) peruenire : Sic enim poſt prædicta ſubjungit : *Non autem videretur fidelis eſſe , ſi nos vocaret in ſocietatem filij ſui, & nobis denegaret* (*quantum in ipſo eſt*) *ea per quæ peruenire ad eum poſſemus :* An diceret quòd (*quantum in ipſo eſt*) *ea vocatis non denegat per quæ peruenire ad illum poſſint?* niſi aliqui deſint vocationi eius quia non præſtant quod in ipſis eſt, cùm ille præſtet quod ex illius parte requiritur; ſeu quantum in ipſo eſt, neceſſaria ſubminiſtret : An eiuſmodi exceptionem facit, niſi quia multi vocati non ad illum efficaciter perueniunt qui peruenire ſufficienter poſſunt per illa ipſa quæ non denegat ex parte ſui, vel quantum in ipſo eſt, perueniendi auxilia ? Nec enim verò vocati omnes actu ſalutem conſequuntur ; quia *multi vocati , pauci verò electi* (vt in Euangelio Chriſtus inculcat) Et omnibus vocatis tamen quantum in ſeipſo eſt media confert quæ non efficaciter agant , vel vocatos perducant ad ſalutem, tametſi dentur vt ad illam perduci poſſint : Nunquid ergo quæ *ſufficientia* dici ſolent ?

Sed propiùs ad factum Petri pertinere videri poſſit quòd in eiuſdem ad Corinthios epiſtolæ caput 10. ſuper illud, *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, &c. poſtquam præmiſit quæ cautela ſit adhibenda *per diligentem attentionem ne quis peccet;* vt & quanta ſit *facilitas ruïnæ ſpiritalis per caſum in peccatum*, iuxta monitum quod ibidem præcedit ; addit in illis ipſis verbis quæ relata ſunt, euidenter oſtendi ex Apo-

ſtoli ſenſu *paratum eſſe adjutorium in tentatione*; ac deinde notare pergit quòd Apoſtolus Deum commendet adiutorem, *quia dat nobis potentiam reſiſtandi*, &c. per hæc vtique ſignificans quòd iis qui tentantur ſiue ſolicitantur ad peccandum, Deus ex ipsâ fidelitate ſuâ exhibeat quod reſiſtere tentationi poſſint; adeo vt ſi quis illorum cadat, vel tentationi ſuccumbat, eius culpa tantùm ſit, non diuini defectus auxilii quod per ſeipſum ſponte deſit, *&c.*

Quid quod in illud ad Hebræos 12. *Contemplantes ne quis deſit gratia Dei*, poſtquam præmiſit oportere vt homo ad habendam gratiam ſe præparet; Deum autem pro ſuâ voluntate liberaliſſimâ dare illam præparanti ſe, quia vult omnes homines ſaluos fieri; ſic deinde concludit: *Et ideo gratia nulli deeſt. ſed omnibus quantum in ſe eſt, ſe communicat? ſicut nec Sol deeſt oculis cæcis*, &c. Quid quòd libro 3. contra Gentes cap. 159. rationem eandem reddit cur homini ad culpam imputetur quòd gratiam non recipiat, quia per Deum non ſtat quin eam det, ſed per hominem ipſum? *Deus enim quantum in ſe eſt* (inquit) *paratus eſt omnibus gratiam dare, ſed illi ſoli gratiâ priuantur qui gratiæ impedimentum præſtant: ſicut Sole mundum illuminante imputatur in culpam ei qui oculos claudit, ſi ex hoc aliquod malum ſequatur*, &c. Nec intereſt gratiam ibi habitualem indicari quæ ſe ad illam præparanti non deſit; quia cùm ei cui gratia talis deeſt, defectus ipſe præparationis imputetur ad culpam; nec ad eam interim conſequendam ſine gratiâ interiori actuali mouente præparare ſe poſſit, vt ſæpiſſimè Sanctus Thomas inculcat; nunquid hoc ipſo conſequens eſt interiorem illam actualem gratiam ei etiam non deeſſe qui ſe per illam non præparat? Aut quid aliud inſinuat 1. 2. quæſt. 79. art 2. ad 2. cùm ait quòd *etſi priuatio gratiæ ſecundum ſe non ſit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi ſe ad gratiam, poteſt habere rationem peccati:* Nam quæ hominis eſſe negligentia poteſt quòd ad gratiam conſequendam ſe non præparet, ſi auxilium deeſt quo ſe præparet? nempe ſi actualis interior gratia deeſt, ſi Deus ipſe quaſi neceſſaria non prouidens homini eius ope ac motione indigenti vltrò ac ſponte deeſt; ſi deeſt illi eâ in re quæ ad ſalutem tantopere intereſt & haberi aliunde non poteſt.

Sit vnus tamen vice omnium locus, vnum teſtimonium Sancti Thomæ, vna quâ nulla inſignior (etſi compendioſa) expreſſio, ex quæſtione 49. primæ partis art. 2. vbi quærit, *an ſummum bonum quod eſt Deus, ſit cauſa mali?* & eam ſibi objectionem formans quòd in 2. Phyſicorum dicatur idem eſſe cauſa ſalutis nauis & periculi eius, adeoque cùm Deus cauſa ſit boni vel ſalutis debeat quoque damnationis & mali cauſa eſſe; reſpõdet ad 3. quòd *ſubmerſio nauis attribuitur nautæ vt cauſæ, ex eo quòd non agit quod requiritur ad ſalutem nauis? Sed Deus non deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem.*

Neque verò quiſpiam obiiciat quod Caietanus ibi addit, ſic intelligi hoc debere vt ab agendo quod eſt neceſſariũ ad ſalutem Deus non deficiat cùm id agere debet; imò quòd ipſe Sanctus Thomas 1. 2. qu. 79. art. 1. eam ob

cauſam probat inter cæteras Deum peccati cauſam etiam indirectè dici non poſſe nec debere, quia tametſi *aliquibus non præbet auxilium ad euitandum peccata (quod ſi præberet, non peccarent) hoc totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ, cùm ipſe ſit ſapientia & juſtitia; vnde non imputatur ei quòd alius peccet (ſicut cauſa peccati) ſicut gubernator non dicitur cauſa ſubmerſionis nauis ex hoc quòd non gubernat nauim, niſi quando ſubtrahit gubernationem potens & debens gubernare.*

Nemo id (inquam) objiciat quaſi ex eo ſit conſequens Deum interdum ſponte ab hoc agendo deficere quod eſt neceſſarium ad ſalutem, quia nemini quidquam debet: Nam etſi Deus non debet nobis quòd ab illo iuuamur, debet ſibi nihilominus quòd nos iuuat; quia pertinet ad illius prouidentiam vt nos iuuet; niſi culpa noſtra ſit quòd non iuuet aut quòd iuuare ceſſet; vt poſtea pleniùs oſtendetur: Et hoc ipſum præ ſe fert Cajetanus: Cur enim ait, *cùm id agere debet*, ſi non vtique aliquando ſic debet, quando nihil noſtrum eſt quod eum iuſtè ab hoc agendo impediat?

Sed expreſſiùs multò id Sancti Thomæ verba præ ſe ferunt: Cur enim ait quòd cùm Deus non præbet auxilium ad vitanda peccata, *hoc totum facit ſecundùm ordinem ſuæ ſapientiæ & juſtitiæ*; niſi quia ob culpam tantùm noſtram id præbere omittit vt in pœnam? non quia ſic ſponte vult aut ſic ſponte deficit ab agendo quod eſt neceſſarium ad ſalutem. Hoc nimirum eſt quod ad 1. ibidem addit, *eum in malum inclinare hominum voluntates, inquantum non prohibet*; ſed hoc tamen etiam *contingere ex merito præcedentis peccati.* Vbi ergo peccatum non præcedit (qualecunque tandem ſit) nunquid intelligitur id præbere quo quis deinceps prohibeatur à peccando? nunquid ſibi debere vt præbeat? nunquid non deficere à præbendo quandiu homo ab officio non deficit? Et iuſto deſit, niſi & ei juſtus antecedenter defuerit? aut Petro defuiſſe dicatur, niſi quia defuit ei Petrus? aut defecerit ab agendo quod erat Petro neceſſarium ad ſalutem, niſi quia in eo defecit Petrus quod erat ſibi neceſſarium ad cautelam? aut velit & intendat aliud Sanctus Thomas, quaſi Arnaldo ſuffragetur?

SECVNDA CLASSIS AVTHORITATVM *Sancti Thomæ pro gratiâ ſufficiente aſtruendâ.*

ETſi jam ſatis porrò ex antedictis compertum eſt quàm ſufficiens ad peccata vitanda præbeatur homini auxilium ex parte Dei, nec juſto ſaltem denegetur per quod in juſtitiâ ſtare poſſit; eò ampliùs tamen & apertiùs id patebit ex eo loco vbi expreſſè ipſum nomen *ſufficientis auxilij* præfato ſenſu Sanctus Thomas vſurpat. Expendamus. En quod loquitur Sanctus Thomas 1. 2. qu.106. art. 2. ad 2. *Gratia noui Teſtamenti etſi adjuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono vt peccare non poſſit: Et ideo ſi quis poſt acceptam gratiam noui Teſtamenti peccauerit, majori pœna eſt dignus; tanquam majoribus beneficijs ingratus, & auxilio ſibi dato non vtens: Nec tamen propter hoc dicitur quòd*

lex noua iram operatur (*quia quantum eſt de ſe*) *ſufficiens auxilium dat ad non peccandum*. Vbi oculi qui non vident gratiam quandam *ſufficientem ad non peccandum* iis datam qui peccant? Vbi qui eam ſibi quouis in loco Sancti Thomæ oſtendi vrgent? An quia nomen ipſum *gratiæ ſufficientis* non ſyllabatim legunt, eam non putant quoad rem ipſam intelligi? Nec Miſſam velint inſtitutam à Chriſto, quia nec in Euangelio Miſſæ vocem viderint: An *ſufficiens auxilium* non eſt *gratia ſufficiens?* Liceat mihi ſaltem per eorum indulgentiam quod licuit Arnaldo; vt cùm ipſe gallicè reddiderit in epiſtolâ quam expendimus *defuiſſe gratiam Petro* quam nomine *ſuperni auxilij* (τῆς ἄνωθεν βοηθείας) Chryſoſtomus expreſſit, appellare *gratiam* poſſim quod Sanctus Thomas *auxilium* appellat. Præit huic ipſi nomini Sanctus Thomas, cùm notat nempe (libro 3. contra Gentes cap. 150.) quòd *quia illud quod alicui datur abſque ſuis meritis præcedentibus, dicitur ei gratìs dari, cùm diuinum auxilium homini exhibitum omne meritum humanum præueniat, conſequitur quòd hoc auxilium homini gratìs impendatur; & ex hoc conuenienter gratiæ nomen acceperit*. Sed quid repeti aliunde opus eſt quo id conſtet? Ecce, quod Sanctus Thomas paulò ante præmittit, de gratiâ ſcilicet noui Teſtamenti adiuuante ad non peccandum, poſteriùs explicat per *auxilium ſufficiens ad non peccandum*, vt ſophiſtica omnis cauillatio explodatur.

Nec dici poteſt (vt nonnulli nugantur) quòd gratiam exteriorem intelligat: Primò, quia Pelagianum errorem approbaret qui eam ſufficere volebat ad ſalutem; vel peccantes conuincere non poſſet quòd auxilio ſibi dato abuſi eſſent, quandoquidem aliquod eis neceſſarium defuiſſet: Secundò, quia in corpore articuli prænotat quòd ad legem Euangelii principaliter pertineat *ipſa gratia Spiritûs-ſancti interiùs data*: Ex quo ſequitur quòd per illos qui auxilio ſibi dato non vtentes dicuntur, intelligat poſtmodùm eos qui gratiâ interiori non vtuntur. Sed nec habitualem tantùm intelligere putandus eſt, vt & alii æquè infœliciter ferè fingunt; tum quia illam *auxilij* nomine appellare non ſolet ſed potiùs intelligere *actualem*, & ab habituali ſub hac nomenclaturâ diſtinguere, vt in eadem 1. 2. qu. 109. per articulos ferè omnes, præſertim verò art. 6. expreſſè videre eſt; & ſaltem illud nomen per ſpecialem quandam appropriationem actuali gratiæ tribuere, quamuis habituali communiter tribuat vt art. 9. patet; tum quia niſi adſit etiam actualis ad voluntatem adjuuandam, habitualis non ſufficit ad hunc effectum ex ſe ſolâ; ſicut ibidem paſſim docet per articulos plures; ita vt & in ſtatu innocentiæ ſeu naturæ integræ quantumcunque haberet homo *ſufficientiam operatiuæ virtutis* per quam bonum naturæ ſuæ proportionatum velle ac perficere naturaliter poſſet (vt ibidem loquitur art. 2.) ad motionem tamen ſui per quam ageret actu, auxilio diuino indigeret actualiter impellente; ac eodem proinde in hoc ſtatu corruptionis indigeat, quomodocunque *ſufficientia operatiuæ virtutis* per gratiam habitualem ſupponatur.

Nec intereſt aut quidquam juuat *juſtificandi* verbum quod in titulo præ-

figitur, cùm inquiritur *vtrùm lex noua juſtificet*, vt ad gratiam habitualem per quam reddimur juſti ſequentium omnium ſcopus & ſenſus referatur, ſicut prædicti explicatores vrgent. Non intelligunt verbum illud vulgari vſu ſenſum duplicem pati poſſe? vel *effectiuum* nempe vel *formalem*; nec eatenus tantùm dici juſtificare legem nouam quòd gratiam habitualem contineat quæ hominibus infundatur vt jnſtos reddat; ſed quòd præbeat actualem quæ juſtitiæ infuſionem cauſet; ſiue per quam homines ad iuſtitiam diſponantur habendam, vel in eâ iam præhabitâ conſeruentur, vel illius opera exerceant. An enimverò Sanctus Thomas diceret quòd lex noua præſtaret *auxilium ſufficiens ad non peccandum*, niſi præſtaret actuale ſine quo apud illum habituale non ſufficit præterquam quod ad potentiam informandam, non ad actum reipſâ exequendum? Dicant hoc ii qui ad aliquos actus habitualem illum ſtatum ſeipſo ſufficere ſine concurſu actuali ſentiunt; & innocuè quidem dicant (quantum ad fidem ſpectat) quia non propterea deeſſe quidquam putant quod ex parte diuinâ requiratur ad id agendum quod occurrit; vt in priſtinis lectionibus à ſe traditum ac præpoſtero ſenſu à quibuſdam detortum vel incautiùs intellectum, nitidiſſimè his Comitiis explicauit Illuſtriſſimus Carnotenſis: Non hoc tamen dixerit Sanctus Thomas qui motionem actualem in omni actu prærequirit: Vnde cùm *auxilium ſufficiens ad non peccandum* legi nouæ aſſignat, eam vtique ſufficientiam aut præcisè ad actuale refert quod eſt proximè ſufficiens, aut ad vtrumque ſimul reſpectiuè vult pertinere; vt alterum ad potentiam informandam, alterum ad applicandam ſufficiat; nec ſic tamen ad non peccandum detur vt reipſâ non peccet qui accipiat illud; ſed non peccare poſſit, etſi peccet; ſicut ibi adjuncta per ſe monſtrant: Eoque magis referendam ad actuale putat quòd eius auxilii ſufficientiam ad fideles extendit omnes quibus omnibus habituale non confertur.

Cur id ergo Arnaldus repudiat? Cur adfuiſſe Petro ad non peccandum negat? Cur ſimpliciter defuiſſe gratiam quâ non peccare poſſet, aut obſtinatè firmat, aut fallaciter circumvolvit? Cur in ſui defenſionem Sanctum Thomam aduocat, ſi loquitur & ſentit tam aduerſa?

TERTIA CLASSIS AVTHORITATVM Sancti Thomæ pro gratiâ ſufficiente aſtruendâ.

SVfficere ad prædictorum conuictionem vel vnum illud poſſet quod Sanctus Thomas tam frequenter inculcat circa obſeruantiam pręceptorum; quam hominibus paſſim ſic poſſibilem vrget vt eorum negligentiam putet ſi non ea obſeruent; quia non deſit illis per quod aut obſeruare illa poſſint aut obſeruandi vires impetrare; ſic impoſitam & indictam proponit vt niſi poſſibilis præſupponatur, non obliget.

I.

QVid aliud ſcilicet Quodlibeto 2. art. 6. certiſſimè aſtruit? *Nullus tenetur* (inquit) *ad hoc quod eſt ſupra vires ſuas niſi per modum quo*

ſit ſibi (vel ei) *poſſibile*; Atque inde concludit quòd quia myſteria fidei ſunt ſupra potentiam hominis naturalem & ex peculiari dono Dei prouenit vt credantur, *tenetur homo credere ſecundùm quòd adjuuatur à Deo ad credendum*: Et eadem ratio debet eſſe de præceptis omnibus quæ facere tenetur, nec tamen ſine adiutorio Dei poteſt.

Quid aliud iterum Quodlibeto 7. art. 17. ad 3. *In quolibet præcepto* (inquit) *duo ſunt conſideranda*; ſcilicet finis præcepti, & poſſibilitas obſeruandi; *quia omnia præcepta cujuſlibet legis ordinata ſunt ad aliquod bonum inducendum vel ad malum vitandum; nec aliquid impoſſibile præcipi poteſt: Si ergo tale ſit præceptum quod nullo modo impoſſibile reddi poſſit ad obſeruandum, & ſine illo finis intentus haberi non poſſit, obligatio illius præcepti ſemper manet; ſicut eſt in præceptis de actibus virtutum; quia ad minus actus interiores ſunt in hominis poteſtate, & ſine illis vita ſpiritualis conſeruari non poteſt*: Quaſi è contrario inſinuans quòd ſi præceptum quouis modo reddatur impoſſibile ad obſeruandum, obligatio eius tollitur per ordinem ad illum cui ſupponitur impoſſibile; adeóque ſupponi debet poſſibile ſemper homini quandocunque obligat, vel ex eius tranſgreſſione conſequitur peccatum: At niſi per gratiam poſſibilia eſſe non poſſunt: Vnde gratia ſufficienter ſaltem ei adeſſe dici debet qui ea obſeruare tenetur, juxta verum & certum ſenſum Sancti Thomæ.

Quid aliud in 2. ſent. diſt. 28. qu. 1. art. 3. vbi probans impleri poſſe mandata Dei ſine habituali gratiâ quantum ad ſubſtantiam actûs, non tamen ſine actuali ſignificante voluntatem diuinam bona omnia in nobis operantem, ſic ait primo argumento *Sed contra* quod ſecundum proponit: *Deus non eſt magis crudelis quàm homo: Sed homini imputatur in crudelitatem ſi obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non poteſt: Ergo hoc de Deo nullo modo eſt æſtimandum*: Ex quo ſequitur quòd cùm ſine diuinâ voluntate quodlibet bonum in nobis operante vel ſine actuali gratiâ nemo ea implere poſſit, crudelis eſſet Deus ex mente Sancti Thomæ ſi præciperet ea ſeruari, & eos qui non ſeruant ad peccati reatum obligaret, nec ad eorum impletionem vel obſeruationem neceſſarium auxilium præberet, ſaltem tale quod *ſufficiens* dici poſſet.

Quid aliud etiam quæſt. 24. de veritate (quæ de libero arbitrio eſt) art. 4. ad 1. *Illud* (inquit) *quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſeruandum; quia & ſubſtantiam actûs poteſt ex libero arbitrio ſeruare* (ideſt ſine habitualis gratiæ dono, vt aliunde conſtat) *& modum quo eleuatur ſupra facultatem naturæ* (*prout ſcilicet ſit ex charitate*) *poteſt ſeruare ex dono gratiæ, quamuis non ex ſolo libero arbitrio*: Quod rurſus non diceret, niſi etiam ille qui præcepta non implet, poſſet implere quoad modum; proindèque gratiam per quam ſolam ita impleri poſſunt, ſufficienter ſibi oblatam vel paratam haberet; adeóque non ex gratiæ ſed ex ſuo defectu ea prætermitteret adimplere. Hinc ad 2. addit *quòd rectè homo corripitur qui præcepta nòn implet; quia ex ejus negligentia eſt quòd gratiam non habet quâ poteſt obſeruare præcepta quoad modum*, &c. An ex

eius negligentiâ porrò eſſet quòd non haberet eiuſmodi gratiam, ſi quantum eſt ex parte Dei per ſeipſam deeſſet, nec hoc adeſſet ſaltem per quod haberi poteſt?

II.

AN & aliud maturus dicat quàm quod juuenis? cùm non eſſe impoſſibile ait 1. 2. qu. 100. art. 10. præceptum illud obſeruare quod eſt de actu charitatis; *quia poteſt homo ſe diſponere ad charitatem habendam*; *& quando habuerit, poteſt eâ vti,* &c. Non poteſt autem ſe diſponere homo ad charitatem habendam, nec eâ iam habitâ omnino vti niſi ei actualis gratia & auxilium adſit, vt ex prædictis patet: Vnde ſenſus eius eſt quòd ad illud præceptum adimplendum nulli gratia deeſt; nec ei quidem qui non implet; quia quòd non impleat, reus tranſgreſſionis efficitur.

An à ſeipſo in ætate vtrâque diſſentiat? Scilicet cùm in ſuis quæſtionibus diſputatis quæſt. 24. art. 14. in 2. ſent. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. Quodlib. 7. art. 17. & in 1. 2. quæſt. 109. art. 4. vniformiter quoad ſenſum velut ex Hieronymo notat eos eſſe maledicendos & execrandos qui aliquid impoſſibile dicunt eſſe quod homini à Deo præceptum ſit. Sic enim primo loco: *Præceptum non datur de impoſſibili: Vnde Hieronymus dicit: Maledictus qui dicit Deum homini aliquid impoſſibile præcepiſſe:* Quod etſi tanquam argumentum proponat vt hanc ſubſumptionem inferre poſſit, quòd quia homini præcipitur vt bonum faciat, poteſt per liberum arbitrium facere bonum illud; nihilominus reſpondendo ita ſupponit verum (ſicut antea notatum eſt) vt propterea impoſſibile neget eſſe, quia gratia parata eſt per quam fieri poſſit. Sic in ſecundo loco, argum. *Sed contra* 1. ſub eodem nomine Hieronymi: *Qui dicit Deum impoſſibilia præcipere, anáthema ſit*; vt probet (ſicut ſupra) non quoad ſubſtantiam tantùm ſed quoad modum poſſe impleri quæ præceperit Deus obſeruanda. Sic in tertio loco, poſtquam præmiſit nihil impoſſibile præcipi poſſe, addit: *Vnde dicit Hieronymus: Qui dicit Deum aliquid impoſſibile præcepiſſe, anáthema ſit;* iiſdem ferè verbis quæ iam proximè relata ſunt. Sic denique in quarto loco (ne mutaſſe maturus videatur quod ſcripſerat juuenis) poſtquam ſibi objecit argum. 2. quòd Hieronymus dicat in expoſitione catholicæ fidei ad Damaſum, *eos eſſe maledicendos qui Deum aliquid impoſſibile homini præcepiſſe dicunt*; vt inferret quòd homo per ſeipſum implere vniuerſa mandata poſſit, quia illud eſt impoſſibile homini quod implere per ſeipſum non poteſt; ſic reſpondet vt ſupponendo verum quod nomine Hieronymi retulit, dicat *non eſſe nobis omnino impoſſibile quod poſſumus cum auxilio diuino.* Annon autem id illuſoriè dicat ſi auxilium quoque diuinum nobis deeſt? ſicut & illud quod in exemplum affert, *aliquatenus nos id poſſe quod poſſumus per amicos*, illuſoriè diceretur, ſi deeſſent nobis amici vel ope ſuâ indigentibus non adeſſent.

III.

SCio hæc verba quibus nititur Sanctus Thomas tanquam ſi Hieronymi eſſent, non Hieronymi tamen eſſe ſed Pelagii; vt ex ipſius Auguſtini

teſtimonio colligitur; qui libro de naturâ & gratiâ capite 30. miſſam eſſe à Pelagio ad ſummum Pontificem Innocentium primum quem viuere putabat (licet iam vitâ functum) confeſſionem illam refert & à Zozymo Innocentii ſucceſſore ſuſceptam: Quid obſtat porrò? cùm vtique ſit Pelagii ſuam hæreſim occultantis ouinâ pelle, ne vel erronis ac hæretici pilum vnum habere videretur, vt Baronius in Annalibus notat: Ex quo factum eſt vt
Tom. 9. ad annũ 417. velut catholica circumferretur paſſim ac ſub nomine Hieronymi eam Damaſo dirigentis apud poſteros notaretur; adeòque vt illam Sanctus Thomas referre velut ex Hieronymo potuerit. Sed qualiſcunque tandem illa fuiſſe dici poſſit, hoc ipſo tamen quòd non obiter ſed ex profeſſo, nec ſemel ſed pluries, & in poſtremis quidem operibus eam vt catholicam Sanctus Thomas vſurpat ad probandam & aſtruendam poſſibilem obſeruantiam præceptorum quæ ſuos tranſgreſſores reos faciat, quia quod potuerant non fecerint; nunquid ſatis apertè ſignificat quòd ad id faciendum nulli gratia (quantum eſt ex ſe) deſit, ſine quâ obſeruari non poſſunt? & multò minùs deſit juſto vt à tali obſeruantiâ non recedat. Quid ſimile Arnaldus porrò? cùm defuiſſe Petro gratiam dicens quâ remotâ nihil poſſumus, ita impoſſibilem illi confeſſionem Chriſti facit quantumcunque præceptam vt & neceſſariam negationem reddat quam vitare non poſſet quantumcumque per oppoſitum interdictam; ac ſimul tamen obligatum ad illam fuiſſe vult, & propter iſtam reum factum eſſe. Siccine Sanctum Thomam illudat? aut ementito Sancti Thomæ nomine nos faſcinet? ſi vel credulæ nimis mentes vel teneri nimis oculi nobis eſſent.

QVARTA CLASSIS AVTHORITATVM Sancti Thomæ pro gratiâ ſufficiente aſtruendâ.

PErgo vltra (Illvtsrissimi Antistites et Sapientissimi Patres) pergo ad illud quod in totâ contentione iſtâ vt firmiſſimam ſibi arcem quâ tutus eſſe contra inſultus omnes poſſit, collocauit Arnaldus; dum non aliam niſi quæ ſit efficax vult gratiam; dum *efficacem* ita dici ſtatuit quia ſemper effectum actu ponat; dum nullam quæ det proximum *poſſe* niſi det ſimul ipſum *agere* ineluctabiliter vel cum actu infallibili conjuncta ſit, agnoſcit; & ſic prorſus etiam Sanctum Thomam contendit agnouiſſe. Pergo ad illud ergo è contrario conuincendum, & ex ipſius Angelici Doctoris planiſſimis teſtimoniis inconcuſſè ſtabiliendum ac firmandum, eſſe aliquam apud illum gratiam quæ non ſemper effectum ſortiatur quia impedimentum ponat homo; non ideo ſeipsâ efficacem vocari ſemper (vbicunque ſic vocet vel vocandam inſinuare videatur) quòd ſine actu non ſit; & eam dari aliquando (quomodocunque appelletur) cui hominem reſiſtere vel reluctari ac reniti contingat; non illâ tantùm Ianſenianâ reſiſtentiâ quæ concupiſcentiam cum gratiâ luctantem primùm ſed victam tandem & abreptam neceſſitate quadam facit (vt Arnaldus cum ſuis amplectitur) ſed illa quoque verâ, reali, effectiuâ (vt ita dicam) reſiſtentiâ quæ gratiæ progreſſum

impediat; quæ finem eius effectumque fruſtretur; quæ non eius virtutem immunuat, ſed obſtaculum actioni eiuſdem apponendo reum faciat peccatorem quòd eâ non ſit vſus cùm poſſet; ſe per illam ad actum applicari non permiſerit cùm deberet; illius fructum non perceperit, quia nollet.

I.

HInc exordior verò quod cæterorum fundamentum eſſe videri poſſit & ad eorum ſenſum planiorem debeat præſupponi: Nempe, vtcunque ſufficiens gratia diſtinguatur ab efficaci penes vſum quem neceſſitas contentionum introduxit; quaſi ſit *ſufficiens* quæ ad actum diſponit cùm *poſſe* dat; *efficax* quæ inducit effectum cùm *poſſe* illud actu complet; Non ſic *efficax* tamen plano, expreſſo, certo ſenſu è Sancti Thomæ verbis & ex modo loquendi quem vſurpat, vniformiter colligitur, quòd eo ipſo ad effectum pertingens intelligi debeat actu ſemper ac reipſâ ponendum; ſed interdum *efficax* quòd virtutem habeat per ſe, independentem à virtute ipsâ humanâ, ex ſeipſâ potentem inducendi effectum & flectendam ad illam voluntatem; ſic temperatam tamen conditioni voluntatis vt eam non impellat ſi nolit ſed nolentem ac reluctantem aliquando relinquat ſine actu: Adeo vt *efficax* per internam efficaciam intelligatur illo etiam caſu quo non ſemper externa per effectûs poſitionem conſequitur; ſicut & *ſufficiens* aliquando intelligitur apud illum vel intelligi videtur poſſe quæ totam habet ex ſeipſâ ſufficientiam ad actum requiſitam; & eo ipſo per internam efficaciam dici *efficax per ſe* poteſt; licèt non efficiat actum quem efficere poſſit, quia obicem ponit ac diſſentit voluntas; quantumcunque à voluntate non petatur ſufficientia efficiendi cùm conſentit. Et ea fortè ratio eſt cur (quod Ianſeniani valde vrgent) gratiam Sanctus Thomas in illa duo membra non diuiſerit ſeparatim; quia & efficaci ſufficientia multò ampliùs ineſt; & ſua quoque ſufficienti efficacia quodammodo (ideſt vis interna) non deeſt; quamuis illa interim quæ inducit effectnm actu, pleniorem vim quandam ſecum quàm illa tantùm ferat quæ inducere poſſe dicitur nec inducit: Ex quo factum eſt vt ad illam virtutis in vtraque diſtinctionem explicandam *efficax* vna, *ſufficiens* altera (velut appropriatis vocabulis) vulgari vſu Theologorum diceretur; quantumuis illa tantis litibus agitata vocabulorum diſtinctio & multò minùs tam diuerſa illorum apud ſcholas inter ſe diſſidentes explicatio nihil ad fidem pertinere arbitranda ſit; modò ſit vnus apud omnes de ſenſu ipſo ac de fundamentali veritate conſenſus; vt gratiæ omnia tribuantur, vt eius virtus ac neceſſitas agnoſcatur, vt per illam voluntas ad agendum fieri potens aſtruatur, vt voluntatis non agentis negligentiæ vel defectui aſcribatur quòd habuerit vnde agere poſſet, & non egit.

Nec aliter vtique de gratiâ loquitur Sanctus Thomas; vel cùm ſufficientem inſinuat; vel cùm indicat efficacem; ſic eam ſufficere indicans vt id ad quod ſufficit per ſeipſam, non efficiat aliquando quia coëfficere negligimus, nec ei nos ad agendum aptanti aſſentimur; ſic efficere inſinuans vt non minùs efficax intrinſecè (ideſt efficiendi potens) per ſeipſam ſit, cùm ex noſtro defectu non efficit.

II.

INtelligere potuiſtis ex illis quæ dicta ſunt cùm ſufficiens auxilium ex planiſſimo eius teſtimonio aſtruerem, ſic appellatum illud *ſufficiens ad non peccandum*, vt cum illo nihilominus quidam peccent. Intelligite ſic alibi *efficax* deſignatum vt ex effectu non ſequuto efficaciam non amittat: Vbi nempe 3. part. Summæ quæſt.49. art. 2. ad 3. *Deus* (inquit) *permittit diabolo poſſe decipere homines certis temporibus & locis ſecundùm occultam rationem judiciorum ſuorum: Semper tamen per paſſionem Chriſti eſt paratum hominibus remedium ſe tuendi contra nequitias dæmonum, etiam tempore Antichriſti: Sed ſi aliqui hoc remedio vti negligant, nihil deperit efficaciæ paſſionis Chriſti:* Quid eſt *nihil efficaciæ deperire*, niſi non minùs eam efficacem (ideſt potentem) eſſe vt ſequatur effectus qui ex illâ interim propter non vtentium negligentiam non ſequitur? An ſit efficax ergo quia effectum actu ſemper inducat? Vel de gratiâ dici ſuo modo non poſſit quod hîc de paſſione dictum quaſi gratiæ fonte, cujus nec vſus nobis niſi gratiâ mediante prodeſſe poſſit quidquam, aut ad ſalutem noſtram niſi per illam deriuari? Vtique dici poſſit eodem ſenſu nihil eius efficaciæ deperire ſi eâ vti quidam negligant ac illius effectum ſuâ negligentiâ impediant; & hoc omnino eſſe quod inſinuat Sanctus Thomas.

III.

QVoties verò preſſioribus verbis & expreſſiùs in hunc ſenſum conceptis eiuſmodi gratiam commemorat cujus effectum impediri contingat ex illorum defectu qui agere negligunt, vel qui ei ad id mouenti reluctantur; cùm eius tamen motioni non reluctari poſſint, vel id poſſint agere quod non agunt? Quoties illud, *Vos ſemper Spiritui-ſancto reſiſtitis* (vel ex græco ἀντιπίπτετε, *reſiſtitis*) non de Spiritu-ſancto exteriùs loquente per Prophetas (quod ad conuictionem reſiſtentium non ſufficeret) ſed interiùs per ſeipſum pariter inſpirante interpretatur ex profeſſo; vt inſtinctui eius interiori (ſiue interiori actualis gratiæ motioni) reſiſti ſignificet impediendo eius actum, ac reſiſtentes ei ob hanc ipſam reſiſtentiam reos agat?

Sic nempe Quodlibeto 2. art.6. de illâ ipsâ vocatione interiori explicat de quâ dicitur Ioan. 6. *Omnis qui audiuit à Patre, venit ad me:* Subjungens quòd eidem *vocationi interiori tenebantur non reſiſtere* quos vocauit; & qui vocanti tamen reſtiterunt nec eius prorſùs vocationem ſunt ſequuti: Quin & ad primum argumentum ex illis Chriſti verbis confectum ad eiuſdem vocationis neceſſitatem excludendam, *Si non veniſſem & opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, ita reſpondens vt aſtruat quòd *inter illa opera quæ Chriſtus in hominibus fecit, annumerari etiam debet vocatio interior quâ quoſdam attraxit; ſicut Gregorius dicit quòd Chriſtus per miſericordiam Magdalenam traxit interiùs qui eam per clementiam ſuſcepit foris:* Adeóque *gratiam interiorem* ſignificans quæ nullum in Iudæis effectum ob eorum reſiſtentiam habuerit, qualemcunque vim per ſeipſam haberet.

Sic in 1. ad Corinthios 13. lect.1. poſtquàm præmittit quòd (*quantum eſt ex*

ex ſpiritu Dei) homo non facit peccatum, ſed magis retrahitur à peccato; ſubjungit: *Poteſt tamen facere peccatum ex defectu voluntatis humanæ quæ Spiritui-ſancto reſiſtit; ſecundùm illud Act. 7. Vos ſemper Spiritui-ſancto reſiſtitis:* Per quem autem ſpiritum Dei niſi planè *interiùs agentem* retrahi à peccato dicimur? Et huic reſiſtere humanam voluntatem effectu ipſo vt peccatum committat, planiſſimè aſſerit Sanctus Thomas: Num ergo eam quæ ſufficiat ad non peccandum ſignificans gratiam, nec effectum interim conſequatur?

Sic etiam in 1. ad Theſſalonicenſes cap. 5. lect. 2. ſuper illud, *Spiritum nolite extinguere*, poſtquam rurſus præmiſit quòd *aliquis dicitur extinguere ſpiritum in ſe vel in alio; cùm alius aliquid boni ex feruore Spiritûs-ſancti vult facere, vel etiam cùm aliquis bonus motus in ipſo ſurgit & ipſe impedit*; rurſus addit in eum ſenſum dici, *Vos ſemper Spiritui-ſancto reſtitiſtis:* Cui ergo niſi aliquem bonum motum in reſiſtente ipſo excitanti?

IV.

SEd eum audiamus hoc ipſum dogmaticè in Summâ ſuâ inculcantem, & pari ſenſu antedictum teſtimonium explicantem: Nimirum cùm decernens quòd ea ſaltem infidelitas peccatum ſit quæ *poſitiua infidelitas* dici ſolet, hanc rationem in 2. 2. quæſt. 10. art. 1. ad 1. reddit, quia etſi habere fidem non ſit in naturâ humanâ (ideſt in naturæ humanæ poteſtate) in naturâ tamen humanâ (vel poteſtate illius) eſt *vt mens hominis non repugnet interiori inſtinctui & exteriori veritatis prædicationi:* Quid hoc eſt autem, niſi eum cui prædicatum eſt vt crederet, ideo reum eſſe quòd non credidit, quia non ſolùm exteriori veritati auditæ ſed etiam interiori inſtinctui reſtitit, mentem ad fidem inſtiganti? Aut quis inſtinctus ille interior niſi gratiæ interioris auxilium per quod ſufficienter ad credendum induci poſſet; adeóque impoſſibilis illi non eſſet fides, vt argumentum ſupponebat? Quid quod iterum in 2. 2. quæſt. 189. art. 1. ad 4. poſtquam ad explicandam Gloſſam quandam præmiſit quòd qui nouiter baptizati ſunt (vt loquitur) non ſunt ex neceſſitate ad difficilia cogendi, *antequam per Spiritum ſanctum interiùs ad hoc inſtigentur vt difficilia propriâ voluntate aſſumant*; ad hoc iterum refert quod ex 1. ad Theſſalonicenſes 5. prænotatum eſt, *Spiritum nolite extinguere;* vt & aliud ex Act. 7. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis*; vt quod *reſiſti Spiritui* dicitur non quidlibet erga nos facienti intelligatur ſed *interiùs inſtiganti*; nec ſic accipi quouis modo debeat vt illius motui reluctemur, ſed vt reipſâ excludamus.

V.

NIhil opus addere quæ aliunde addi poſſent: Non illud quod ad Romanos lect. 6. ſuper caput 8. dicit *vocationem interiorem quæ nihil aliud eſt quàm quidam mentis inſtinctus quo cor hominis mouetur à Deo ad aſſentiendum ijs quæ ſunt fidei vel virtutis, & quæ neceſſaria eſt ad ſalutem (quia cor noſtrum non ſe ad Deum converteret niſi Deus ipſe nos ad ſe traheret) eſſe in prædeſtinatis efficacem qui ſcilicet* (vel quia) *huic vocationi aſſentiunt*; & alioqui *juſtificationem (quæ ad vocationem con-*

ſequitur) in aliquibus fruſtrari quia non perſeuerant vſque in finem, in prædeſtinatis tamen nunquam fruſtrari : Quod eſt in iis qui non ad finem perſeuerant eſſe gratiam quandam quæ ad effectum perſeuerandi ordinetur; quia fruſtrari tantùm cauſa illa dicitur quæ ad effectum non pertingit: Nec illud rurſus quod in quæſtionibus diſputatis quæſt. 24. de libero arbitrio art. 11. ad 6. ait *eum qui peccat in Spiritum-ſanctum non ſemper actu gratiæ reſiſtere, quamuis ex inclinatione peccati contra gratiam Spiritus-ſancti operetur; quia remanet aliquis motus (licèt debilis) per quem poteſt aliqualiter gratia operari*; vt inde contrarium inferat quàm quod concludebatur in argumento, *irremiſſibile* dici debere peccatum illud quod in Spiritum-ſanctum committitur [ſicut *incurabilis* dicitur morbus qui contraria ſuæ curationi operatur] quia tale peccatum *contraria operatur ſuæ curationi, hoc eſt diuinæ gratiæ per quam liberatur aliquis à peccato:* Nec illud item quod 2.2. quæſt. 14. art. 3. ad 3. *Sic vertibile ſemper in viâ* [ſeu in hac vitâ] *remanere liberum arbitrium quòd in bonum vel malum flecti poſſit, vt aliquando tamen abyciat à ſe id per quod verti poteſt ad bonum, quantum in ipſo eſt*; quo non aliud intelligere poteſt niſi gratiam interiorem per quam ſolam ad bonum poſſit verti, *&c.* Satis eſt annotaſſe prædicta vt aliquam gratiam agnouiſſe intelligatur Sanctus Thomas quę ſuo fine ac effectu fruſtretur; non quia non det poſſe agere, ſed quia illud *poſſe* negligat qui non agit.

VI.

Atqui murum hîc nobis aheneum Ianſeniani objiciunt quem tranſilire non poſſimus, & quo ſe ita tectos atque vallatos exiſtiment vt ad inuictam defenſionem ſui ac inconcuſſam ſecuritatem efficaciter ſufficere munimentum hoc vnum velint; inde velut inefficaces noſtros omnes inſultus atque aggreſſiones inſultabundi deſpiciant; inde impunè in nos tela indeclinabilia jaculentur; nec magis illis inſuperabilis gratia ſit cui reſiſti non putant poſſe vt effectus illius irritetur, quàm inſuperabiles per viſum ſibi videantur, & ab omnibus videri tales paſſim ambiant; dum veluti ex armamentario Sancti Thomæ depromunt quiddam vnde gratiam omnem eſſe contendant efficacem; ideſt non ſolùm talem ſemper quæ producere actum poſſit, ſed quæ ſit cum effectu conjuncta, quæ ab illo penitus indiuulſa, quę nulli data quin ex illâ neceſſariò agat, nec ei data qui non agat?

Quale illud eſt porrò tam ineluctabile vel indeclinabile telum? quale tam inacceſſum nobis & nullo vallum ſuperabile ſaltu? Nimirum illud quod Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 112. art. 3. ait, *præparationem hominis conſideratam ſecundùm quòd eſt à Deo mouente tunc habere neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo* [*non quidem coactionis, ſed infallibilitatis*] *quia intentio Dei deficere non poteſt, ſecundùm quòd Auguſtinus dicit in libro de prædeſtinatione Sanctorum quòd per beneficia Dei certiſſimè liberantur quicunque liberantur; vnde ſi ex intentione Dei eſt quòd homo cuius cor monet, gratiam conſequatur, infallibiliter ipſam conſequitur; ſecundùm illud Ioan. 6. Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.*

Quanto conatu nihil agunt! vt tam imbelles & inſufficientes ineſſe ſibi vires oſtendant ad erroris defenſionem ac tutelam, dum thraſonicè tam efficaces jactant & tam firmas. Quid Sanctus Thomas ibi? Gratiam-ne non dari quæ non efficaciter agat? Nullum eſſe Dei mouentis auxilium quod non effectum ſortiatur? Nemini gratiam hanc, nemini dari hoc auxilium niſi ei qui agit? Omnem gratiam prorſus & omne auxilium ei deeſſe qui non agit? Reuoluant & videant. Inquirit Sanctus Thomas *vtrùm neceſſariò detur gratia ſe præparanti ad gratiam vel facienti quod in ſe eſt*; vt inſcriptio ipſa notat; ideſt, vtrùm gratiam habitualem ſiue juſtificantem neceſſariò conſequatur qui ſe ad illam conſequendam præparat quantis viribus poteſt: Ac deinde reſpondet quòd *hominis præparatio ad gratiam eſt à Deo ſicut mouente, à libero autem arbitrio ſicut moto*; & quòd proinde *poteſt illa præparatio dupliciter conſiderari; vno modo prout eſt à libero arbitrio; & ſecundùm hoc nullam neceſſitatem habet ad gratiæ conſequutionem; quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ; alio modo ſecundùm quòd eſt à Deo mouente; & tunc habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur*, &c. vt paulò antè relatum eſt: Quid inde porrò colligatur? niſi conatum illum omnem liberi arbitrii qui motionem Dei antecedat nihil habere in ſe vnde gratiam habitualem actu infallibili conſequatur; habere autem ſi ſubſequatur motionem; quia ſcilicet nihil ex parte Dei cuius motio ſupponitur, nihil ex parte noſtrâ qui motionem ſequi ac eidem obſequi ſupponimur, eo in caſu deeſt quin Deo demum efficaciter adjuuante id aſſequamur quod intendit. Hoc eſt quod ait *intentionem Dei deficere non poſſe*; quia vtique ad illius intentionem ſpectat vt nonniſi conſentienti det gratiam, tametſi eum auxilio ſuo moueat priùs vt conſentire poſſit: Hoc eſt quod ait ex Ioanne loquentem Chriſtum referente, *Omnis qui audiuit à Patre & didicit*: Vbi ex ipſâ Sancti Thomæ in eum locum interpretatione ac lectione 5. *duo ponit; vnum ſcilicet quod pertinet ad donum Dei; cùm dicit*, AVDIVIT; *aliud quod pertinet ad liberum arbitrium; cùm dicit*, ET DIDICIT; *ſcilicet per aſſenſum; & iſta duo neceſſaria ſunt*, &c. Quaſi dicat quòd intentio Dei ſic includit conſenſum eius qui ordinatur ad gratiam vt nec ad eam ordinetur ob defectum conſenſûs is qui ei diſſentit: Hoc eſt quod ſuperiùs in Quodlibetis dixit ei vocationi diſſentiri à nobis poſſe ad quam retulit illa eadem verba, *Omnis qui audiuit à Patre*; vt non ad ſolam ſemper efficacem gratiam pertinere putentur: Nec aliud prorſus eſt quàm quod in Quodlibeto 1. art. 7. ad 2. notauit *motionem diuinam participari à naturâ rationali cum libertate; ideoque ſic à Deo moueri quòd poteſt huic motioni reſiſtere*; ac ita quidem poteſt vt & ei reſiſtat aliquando; non imminuens eius efficaciam vel virtutem, ſed obſtaculum effectui per diſſenſum apponens: Non aliud quàm quod in ſextâ quæſtione de malo, articulo vnico, poſtquam argumento tertio concluſiſſet quòd *ſi voluntas hominis immobiliter moueatur à Deo, ſequitur quòd non habeat liberam electionem ſuarum actionum*; reſpondet ex profeſſo *quòd etſi Deus monet immobiliter vel immutabiliter*

voluntatem propter efficaciam virtutis mouentis quæ deficere non poteſt; propter naturam tamen voluntatis motæ quæ indifferenter ſe habet ad diuerſa, non inducitur neceſſitas ſed manet libertas: Quid eſt enim *neceſſitatem non induci*, niſi talem non eſſe motionem quæ ad effectum neceſſariò determinet? Quid eſt *manere libertatem*, & huius cauſam reddi *conditionem voluntatis quæ ſe habeat indifferenter ad diuerſa*; niſi ad eam in diuerſa (poſt motionem licèt) indifferenter ferri poſſe?

Sit igitur efficax intentio diuina quæ hominem ordinat ad gratiam, quia conſenſum jam ſupponit; etſi non talis facta per conſenſum (vt præmiſſum eſt ſupra) Sit efficax motio quæ hominem perducat ad gratiam, quia talem eſſe vult intentio quæ deficere nunquam poteſt: Nunquid non eſt alia quam contingat ideo deficere quia homo diſſentit, quia eius effectum per diſſenſum excludit? *Nota* (inquit Conradus Koëlin ſuper hunc ipſum locum quo tam effusè Ianſeniani gloriantur) *quòd concluſio Sancti Thomæ notanter dicit*, ISTO MODO PRÆPARATIO AD GRATIAM HABET NECESSITATEM AD ID AD QVOD ORDINATVR A DEO; *quia contingit vt Deus moueat hominem ſufficienter, qui tamen non conſequitur gratiam propter diſſenſum ejus ad gratiam: Sed tunc non eſt intentio Dei quod ipſam gratiam conſequatur, nec illam motionem ad gratiam ordinat;* Nempe propter diſſenſum, *&c.* Neotericus porrò Thomiſta non eſt, qui Concilium Tridentinum præceſſit; non ex eorum turba vnus quos Ieſuitæ corruperint, qui Ieſuitas nunquam vidit, nondum ſuo tempore inſtitutos; non calumniis obnoxius quas tam audacter, etſi tam ridiculas & inſulſas, Ianſeniani deblaterant; non tam obſcuræ famæ vt illius repudiare teſtimonium poſſint qui vel obſcuriſſimos quoſque quoties libet, in ſubſidium ſui vocant & eorum authoritate non dedignantur ſe jactare: Niſi quòd noui Alchymiſtæ hanc inſigniter artem callent qua nunc plumbum ex auro, nunc viciſſim ex plumbo conflent aurum, qui pro peritiſſimis ineptiſſimos habent cùm ſibi habent obſequentes; aliorum omnium quos alienos experti ſint aut à dogmate ſuo diſſentientes perſenſerint, vel ingenia deſpiciunt, vel inſcitiam damnant, vel deprauatam mentem & corruptâ intentione ſeruientem ſæculo cauillantur.

Sed quid moramur quin addamus quod ipſe Sanctus Thomas ibidem addit cùm reſpondet ad primum argumentum, vt adhuc illius mens inde manifeſtior fiat? Oppoſuerat ſibi Gloſſam quæ ad Romanos 5. dicit, *Deus recipit eum qui ad ſe confugit; aliter eſſet in eo iniquitas*; vt hinc impoſſibile inferret eſſe quòd eum Deus non recipiat qui ad ipſum confugit; quia impoſſibile omnino eſt iniquitatem in Deo eſſe: Reſpondet autem quòd *Gloſſa illa loquitur de illo qui confugit ad Deum per actum meritorium liberi arbitrij jam per gratiam informati; quem ſi non reciperet, eſſet contra juſtitiam quam ipſe ſtatuit: Vel ſi referatur ad motum liberi arbitrij ante gratiam* (habitualem nempe de qua priùs) *loquitur ſecundùm quòd ipſum confugium hominis ad Deum eſt per motionem diuinam quam juſtum eſt non deficere:* Atque hinc planè conſtat eum efficaciter poſtlim

nio adjuuari nec efficaci auxilio priuari poſſe qui motioni obſequitur vt confugiat vel recurrat ad Deum, adeóque non poſſe non recipi qui ſe recipi ſic vult; ſed non recipi, ſi motiunem non ſequatur; nec adjuuari cum effectu ſi hoc neglexit per quod poſſet. Num & ſequitur Petrum cùm in gratiâ ſtaret ideo non fuiſſe adjutum actu per motionem efficacem vt in eadem perſiſteret, quia non confúgit ad Deum vt hoc beneficium imploraret? ac ſufficiens ei medium vel auxilium adfuiſſe quo confugere potuerit, nec illum eo vſum eſſe? Sed hoc pleniùs rurſum ex adjunctis patebit.

QVINTA CLASSIS AVTHORITATVM Sancti Thomæ pro gratiâ ſufficiente aſtruendâ.

ENimverò an expreſſius quidquam pro coronide prædictarum authoritatum afferri poſſit quàm quod iterum Sanctus Thomas vbique ferè vrget, aut certè tam frequenter ac ſtudioſè notat, eſſe homini non Deo adſcribendum cur ille ab hoc per defectum gratiæ deſeratur? Non relinquamus quod præ manibus erat, & inde poſtremam hanc exordiamur appendicem. Quid ergo ibi præter illa quæ relata ſunt Sanctus Thomas? Nimirum quòd *defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis; ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt à Deo, ſecundùm illud Oſee 13. Perditio tua ex te, Iſraël; tantummodo ex me auxilium tuum*; vt ad ſecundum argumentum reſpondet. Id notare Ianſeniani præcauerint, quia tam iis aduerſum ſit, tam eorum Arnaldo contrarium: Quomodo enim prima cauſa hujuſmodi defectûs eſt à nobis & non à Deo eſſe dici debet? ſi juſto ſponte deeſt; ſi tunc defuit Petro cùm juſtus eſſet; ſi defuit vt non faceret quod facere ardebat vehementer; defuit vt negaret quem confiteri tam ardenter optabat; non potiùs defuit quia tam arroganter præſumebat.

I.

PArum jam erit retuliſſe quod idem Sanctus Thomas ad illa verba Iob 24. *Dedit illi Deus locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in ſuperbiâ*, ſic in commentario ſuo ſubdit: *Cauſam quare abſque miſericordiâ ſit puniendus aſſignat ex hoc quia miſericordiâ uti noluit dum potuit*, &c. Parum quod in 2. ad Corinthios 6. ad illa verba, *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, addit hoc dici quaſi ſit ſenſus, *Ne receptio gratiæ ſit vobis inutilis & vana*; contingereque illud notat *quando ex perceptione gratiæ aliquis non ſentit fructum*; hoc eſt, *quando gratiâ perceptâ non vtitur ad vitanda peccata*, &c. Ac eandem gratiam inferiùs explicans, eam appellat *adjuuantem vt perficiamus quod operamur*; *præuenientem vt à peccatis liberemur*; *cooperantem vel ſubſequentem per quam nobis virtus vel perſeuerantia in bono conferatur*: Quam ergo niſi propriè actualem? Et eam tamen *in vacuum recipi* dicit, hoc eſt non ad illos effectus applicari; ex quo ſequitur vt etiam habitualis amittatur; adeóque homo ſit prima cauſa cur amittatur & non Deus.

Parum quòd in 3. libro contra Gentiles cap. 162. auxilia varia enumerans

quæ Deus confert ad vitandum peccatum, ſubdit *hæc auxilia tamen aliqui-bus ſubtrahi pro merito ſuæ actionis ſecundùm quòd eius iuſtitia exigit* &c. Parum quòd lib. 1. ſent. diſt. 40. quæſt. 4. art. 2. dicit contingere duobus modis quòd gratiâ careat homo; nempe tum *quia ipſe non vult eam recipere*; tum *quia Deus non vult ei gratiam infundere*; ſubjungens quòd *iſtorum duorum talis eſt ordo vt ſecundum non ſit niſi ex ſuppoſitione primi*; quia *cùm Deus non velit niſi bonum, non vult iſtum carere gratiâ niſi ſecundùm quod bonum eſt; ſed quòd iſte careat gratiâ non eſt bonum ſimpliciter; vnde hoc abſolutè conſideratum non eſt volitum à Deo*. Ex quo infert patêre quòd *illius defectûs abſolutè prima cauſa eſt ex parte hominis qui gratiâ caret; ſed ex parte Dei non eſt cauſa huius defectûs niſi ex ſuppoſitione illius quod eſt ex parte hominis*: Et inferiùs rurſum: *Cùm hic defectus* (antedictus) *incidat ex defectu cauſæ ſecundæ non ex defectu cauſæ primæ (quem defectum Deus non impedit licèt impedire poſſit) ſi defectus gratiæ comparetur ad voluntatem quæ eſt ſicut cauſa proxima, inuenitur voluntas habere cauſalitatem ad ipſum (quæ bonum prapoſitum non accipit, cùm accipere poſſit; & ex hoc eſt culpabilis & vituperabilis* &c. *Si autem comparetur ad ipſum Deum, non inuenitur cauſatus ab ipſo; ſed permiſſus & ordinatus, vt ſit in pœnam voluntatis*, &c.

Magna quidem hæc per ſe ſumpta, nec niſi magna eſſe ſingula poſſunt ſi authoris magnitudine metiamur; ſed ea parum puto referre voluiſſe, quia ſufficiebat illud ipſum ſi totum proferretur quod ex 1. 2. relatum eſt eodem loco quem ſibi tanto faſtu Ianſeniani arrogarunt, & tanto æſtu objecerunt, & tanto aſtu (niſi tantâ inanitate) detruncarunt.

II.

ET Sancti Thomæ deſertores vocamur ac transfugæ qui tam infidis eius corruptoribus reluctamur. Et pro nouis Thomiſtis traducimur qui veteres Thomiſtas abdicemus vt ignauiter gratificemur Moliniſtis! Et proditor audio ego (ſi eis vlla fides) quia Thomiſticæ ſcholæ adeoque totius inſtituti Prædicatorum cuius obſeruantiam ſum profeſſus prærogatiuam præcipuam & ſingularem expoſuerim contemptui ac dedecore affecerim! Cur autem? Quia Illuſtriſſimi Vabrenſis Epiſcopi edito contra illos libro ſubſcripſi; vbi ſcilicet ea quæ de gratia ſtabilierunt noſtri principia & fundamenta conuelluntur; quia noſtræ doctrinæ non conſentit ſed contraria docet. Vah! graue malum! Subſcripſi libro nihil non orthodoxum continenti, nec ab illis vtique ob errores illâ conuictione infamato (quamuis nugaciſſimis contumeliis impetito) vt Catholicus doctor in Facultate Theologicâ Pariſienſi laureatus: Non aliud ſubſcripſi porrò niſi quòd catholicæ fidei ac probatis moribus nihil aduerſum contineret: Illud ſubſcripſi ſolùm quod Eccleſia non improbauit, quod Facultas Pariſienſis non rejicit: Quis Momus reprehendat? Eos-ne tantùm libros approbari à nobis oporteat velut à Catholicis Doctoribus qui Thomiſticam ſolam doctrinam contineant? An oportuit vt agerem Thomiſtam cùm officium non domeſticum & proprium Ordinis mei ſed publicum ex judicio Eccleſiæ aut Facultatis

exequerer? Proditor tamen fui: Dicant & proditorem, quia nuper etiam Franciſcani vnius (cuius actui Tentatiuæ præeſſe propediem debeo) iuxta Facultatis eiuſdem vſum placitumque ſubſcripſi; quaſi & hinc Scotiſtam factum velint! Adeo nugas magnificè venditant, quia fungos emptores inueniunt.

Sed nugax ferè magis quòd proditorem eſſe dicant quia eam doctrinam approbarim quam egregij diſceptatores noſtri tam generosè atque inuictè in Congregatione de auxilijs impugnarunt. Nimirum illi quos ipſi jam traducunt velut neotericos ac nouellos: Nimirum illi quorum infamant nomen cùm ſenſerunt aduerſos, poſtquam tam gloriosè oſtentarunt cùm propitios æſtimarent: Nimirum illi quos iam ad Moliniſtas propemodum amandant aut pro ſuâ benignitate ne omnino infenſi videantur, aliquantulùm ſaltem ijs faciunt indulgentes; imò in eas penè redactos anguſtias vt non aliter expedire ſe niſi per tam imbellem indulgentiam potuerint: Illi nimirum illi quos experti ſunt ſibi poſtliminio tam infenſos & erroneo dogmati ſuo in eâ ipsâ quam verſamus controuerſiâ tam aduerſos vt nullos magis alios dari ſibi judices reformident; nullos magis alios diſceptatores aut cenſores opponi. Iudicem-ne Aluarezium velint? Qui diſput. 54. de auxilijs, concluſione 1. totus eſt in probandâ poſſibili obſeruantiâ præceptorum, ita vt aſſerere quòd ſint impoſſibilia obſeruatu impium eſſe velut ex Baſilio notet: Qui diſput. 71. Concluſ. vnicâ, de gratiâ ſufficienti & efficaci ſic ſtatuit; *auxilium gratiæ conuenienter diuidi in auxilium ſufficiens & in auxilium efficax; eam diuiſionem neceſſariam eſſe ad ea explicanda quæ de gratia & libero arbitrio catholica ſemper docuit Eccleſia; & quidem, ſi de re ipſa loquamur, nullum Catholicum poſſe de illa diuiſione dubitare*, quam prolixè deinceps & copiosè probat; ſubindeque num. 6. ex Concilio Tridentino infert *gratiã ſufficientem dari qua poteſt homo ſeruare omnia præcepta ſeu mandata diuina*; & num. 12. quòd *ſi non daretur gratia verè ſufficiens, imputaretur ad culpam ijs qui mandata diuina non adimplent quòd ea non implerent; & conſequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis ac ſine cauſa eos increparet*; ac tandem diſput. 79. Concl. 2. vult *auxilium illud verè ſufficiens dici quod tribuit poſſe comparatione operationis; ita videlicet vt nullum aliud auxilium ſit abſolutè neceſſarium vt homo verè dicatur poſſe illam operationem producere; ſicut auxilium ſufficiens ad perſeuerandum eſt illud quo poteſt perſeuerare ſi velit*; &c.

Velint-ne quoque Gonçaleſium? Qui ſuper primam partem S. Thomæ diſput. 77. ſect. 3. num. 13. reſolutiuè dicit quòd *inſtante tempore quo præceptum obligat (naturale vel ſupernaturale) Deus de facto dat cuicunque viatori auxilium ſufficiens proportionatum extrinſecum vt poſſit (ſi velit) tale præceptum adimplere; ita vt nullus excuſari poſſit à tranſgreſſione præcepti ob defectum auxilij ſufficientis* &c. Et in eandem partem diſput. 57. ſect. 3. num. 46. *Per auxilium ſufficiens paratum à Deo ex vi voluntatis antecedentis quâ vult (quantum eſt ex ſe) vt ille actus fiat à nobis niſi per nos ſteterit, habet voluntas noſtra in ſuâ poteſtate liberã & expe-*

ditâ quicquid requiritur vt faciat actum bonum &c. Et diſput. 58. *indubiè tenendum* addit *voluntatem creatam ſolùm ſufficienter adjutam à Deo habere vltimum complementum potentiæ actiuæ in ordine ſuo*, *nempe potentiæ proximæ operatiuæ*; *atque illam virtutem ſolam ſufficere vt ſit in actu primo vltimatè completa & proximè expedita ad conſentiendum Deo vocanti ſi velit* &c.

III.

EN quos doctrinæ Thomiſticæ prærogatiuam & gloriam in antedicta Congregatione de auxilijs defendiſſe jactabant, cùm eiuſdem doctrinæ proditricem deſertionem nobis tam impotenter exprobrarent; & per quos tam pudendo pro thraſonicis jactatoribus judicio apertiſſimè conuincantur ſi eos patiantur judices; aut quos tam ridendo prætextu ac inſulſo abdicent, ſi recuſatos velint quos in ſui defenſionem aduocarunt. Daremus & alios quales velle ſe fingunt, peruetuſtos & quibus nulli vetuſtiores quæri poſſint: Innocentium quintum, qui in 2. ſent. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 2. objectionem ſic propoſitam quòd *benignior eſt ſeruis ſuis Deus quàm homo*; *nihil autem præcipit homo benignus ſeruo ſuo quod per ſe adimplere non poſſit*; *ergo nec Deus ſeruis ſuis*; Reſpondet quòd *ſecus eſt in Deo & in homine*; *quia ſc. adjutorium hominis non eſt ſemper paratum ſeruis ſuis*, *& ideo iniquè præciperet quod ſine adjutorio eius non poſſent facere*; *ſed adjutorium Dei ſemper eſt paratum ſeruis ſuis*: Et quæſt. 2. art. 1. argum. *Sed contra* quod in ordine tertium eſt: *Nullus peccat in eo quod vitare non poteſt*, inquit: *Si ergo aliquod peccatum eſſet ineuitabile* (quale omnino eſſet ſi deeſſet abſolutè gratia) *jam non eſſet peccatum*: Et art. 4. ad 1. Deus *monet nos ad eum conuerti*; *non quia ſit totaliter in poteſtate naturæ ſecundùm ſe*, *ſed naturæ per gratiam gratis datam adjutæ quæ nulli deeſt*. Daremus Capreolum ſuper eandem diſt. 28 quæſt. 1. art. 3. ſimilia de poſſibili præceptorum obſeruantiâ diſſerentem: Daremus & Heruæum qui in eundem lib. diſt. 22. art. 1. ad 1. vult illud primò *quod eſt impoſſibile vitare abſolutâ neceſſitate, non eſſe vlli homini imputandum*; & illud quidem *quod eſt impoſſibile neceſſitate tantùm ex ſuppoſitione*, *meritò eſſe imputandum*; ſed quando *huius præſuppoſitionis ipſe eſt cauſa*: Quomodo verò eius intelligatur cauſa eſſe niſi adiutus vt aliud facere poſſet adjutorio defuerit? annon iſtud eſt adjutorium ſufficiens, re ipsâ indicatum, tametſi verbis non expreſſum?

IV.

AT enim in abuſum nomenclatura illa traducta eſt; & ſunt qui tale ſufficiens aſtruãt auxiliũ vt ſtare vero ſenſu non poſſit. Viderint qui aſtruũt. Repudiari tamen propterea debeat, ſano ſenſu conceptum? Liceat hîc non incommodè in hanc occaſionem vſurpare quod S. Hilarius occaſione vocabuli quo Patri ὁμοούσιος (id eſt *conſubſtantialis*) Dei Filius in Concilio primo Nicæno decretus eſt. *Sed fortè* (inquit) *è contrario dicetur*, *idcirco improbari oportere quia vitioſè intelligi ſoleat*: *Hoc ſi timemus*, *deleamus in Apoſtolo quod dictum eſt*, *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus*; *&*

non

non legatur à nobis quia malè intelligatur à Photino &c. Et inferiùs: *Malè ſanctis rebus præjudicatur, ſi quia non ſanctè à quibuſdam habentur, eſſe non debeant:* Et rurſus mox: *Malè intelligitur illud: Quid ad me, bene intelligentem?* Et iterum poſtea: *Malè alius intelligit: Damnemus in commune vitioſam intelligentiam; non auferamus fidei ſecuritatem*: Quin & paulò pòſt: *Sed poteſt malè intelligi: Conſtituatur qualiter bene poſſit intelligi:* Denique multis deinceps interjectis quæ per cōgruas quaſdā ſimilitudines probent ea interdū quæ vitioſa ſunt eſſe integris ac innoxiis affinia, nec propterea quæ integra ſint rejici oportere quòd aliorum ſimilitudinem referant, *Nomen* (inquit) *nihil habet criminis quod ſenſum non perturbat religionis:* Ac proinde liceat pari jure interjicere quod interjicit ſuperiùs, & noſtris hominibus accommodare quod ſuis ille coætaneis aptat: *Date veniam (Fratres) Hæretici non eſtis; cur id negando quod fateri non vultis hæretici hoc ipſo cenſemini?*

Sed meliùs exiſtimandum de Arnaldo vt & mitiùs cum perſona illius agi poſſit; quod optare me iam initio ſum profeſſus; tametſi non adeo timendus tamen videri poſſit, vtcunque nobis velut Achilles quidam leoninis medullis enutritus ad formidinem ſit objectus quin & illum Paris aliquis aggredi non diffidat, quia qua ſit vulnerabilis parte propter abuſum Patrum, iam plus ſatis experimento compertum eſt: Cur autem prouocetur ad pugnā quem ſit ſatius inuitari ad pacem? vt hoc in eius ingenio ac induſtria prodeſſe incipiat Religioni quod obeſſe dolemus aut conquerimur obfuiſſe. Interim quis doctrinam cum illa quam damnauit Innocentius X. planè conſentaneam non videat?. Et friuolum eſt quòd in ſuâ de Petro propoſitione non poſuerit illa verba *volenti & conanti* cùm ei defuiſſe gratiam dixit: Nihil aliud explicatio tota vrget; nec ob aliud verba Patrum (etſi detorta vt oſtenſum eſt) tam faſtuosè proferuntur quàm vt maximè voluiſſe intelligatur, conatuſque fuiſſe vehementer; præter alia in hunc ſcopum notanda quæ iam opinionis meæ anteceſſores occuparunt. Itaque meo ſuffragio concludo propoſitionem ſupradictam Arnaldi recidere in Ianſenij ſenſum; adeoque ijſdem notis afficiendam eſſe quibus primam ex quinque prædamnatis affecit INNOCENTIVS X. hoc eſt, *hæreticam, impiam, & blaſphemam*.

DIXI.

LVTETIÆ PARISIORVM,

Ex Typographia FRANCISCI LE COINTE, via Iacobæa, ad inſigne S. Remigij.

ET

venundatur apud FRANCISCVM MAVRICE via Iacobæa, ad inſigne Pilei rubri è regione Collegij Maioris Monaſterij.

M. DC. LVI.